LUCII ANTISTII CONSTANTIS DE JURE ECCLESIASTICORUM, LIBER...

Benedictus : de Spinoza, Pieter : de La Court

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 H
46

Digitized by Google

~~LXVIII 4. 30~~ VII. 1. 35.
K.1.
13-14-H-3
Digitized by Google

Lucii Antiſtii Conſtantis

De Jure ECCLESIASTICORUM, Liber Singularis.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Quo docetur: Quodcunque Divini Humanique Iuris Eccleſiaſticis tribuitur, vel ipſi ſibi Tribuunt, hoc, aut falsò impièque illis Tribui, aut non aliundè, quam à ſuis, hoc eſt, ejus Reipublicæ ſivè Civitatis Prodiis, *in quâ ſunt conſtituti, accepiſſe.*

ALETHOPOLI,
Apud *Cajum Valerium Pennatum.*
CIↃ IↃ CLXV.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AUCTORIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QUemadmodum omnia, quæcunque noviter dicuntur, ſcribuntur aut fiunt, ſuſpenſos & incertos homines efficere ſoleant. Et maximè eos, qui ſuo diffiſi ingenio, leves & inconſtantes admirari omnium rerum *Novitates* quam inquirere malint: quorum, proh dolor! hominum multitudo eſt longè maxima; ita mihi quoque eandem ob cauſam nullo modo dubitandum eſt: quin hic *Liber ſingularis* argumenti ſui novitate, non modo ſuſpenſos & incertos homines effecturus, ſed longè plures etiam admiratores, quam

Digitized by Google

Veritatis, quæ eo traditur, inquiſitores inventurus ſit. Et ut eſt ingenium admiratorum ejuſmodi, qui ipsâ re & argumento relicto, & ad Scriptorem converſi, illud inprimis ſcire & cognoſcere ſint deſideraturi: Quis nam ille ſit? Quænam eum Ratio moverit? & quonam Auctore ad hoc opus conſcribendum acceſſerit? Quæ quidem tria, quamvis mihi perquam ineptum videatur quenquam ſcire & cognoſcere velle, & otioſum, longâ & moleſtâ oratione proſequi: operæ tamen eſſe pretium putavi, non nihil & quidem breviter, de ſingulis præfari. Et de *Scriptore* Operis ſemper ferè ineptè quæritur: quoniam plærumque

Digitized by Google

que pauci admodum ſunt, qui eum noverint, qui ſuis tantum, quibuscum ei vitæ conſuetudo & familiaritas intercedunt, cognitus ſit, & eſſe poſſit, vix cognitus cæteris, quibuscum eandem Remp. ſive Civitatem, vel Municipium incolit. Niſi fortè cognitionis loco ducatur, quod alii, quam Amici & Familiares Nomen ejus vel Cognomen Familiæ, ut & ſpeciem ejus externã ſive etiam Corpus ejus ſciant & cognoſcant: Sed hos nihil amplius noviſſe, quam cæteros, qui horum nihil noverint vel ex eo plus quam manifeſtum eſt: quod hoc pacto nihil noverint ejus, quod ita cogitaverit, ut ſcriptum eſt, & ut ità ſcribi potuerit. Et hoc ta-

men leves illi & inepti homines, quoniam *Scriptorem* ipſum, i. e. *Animam* ejus ex Opere ſcripto ſcire & cognoſcere non poſſint, ſe ſcire & cognoſcere opinantur, ſi illa omnia, quæ ſupra ſcripta ſunt, aut vel partem eorum noverint & conſpexerint. Quo nihil levius, nihil etiam ineptius eſt. Nam veriſſimum eſt, & Viri prudentes & graves jam dudum docuere: melius & incorruptius de eo judicari, cujus Opera ſolum legimus, & de quo cætera illa non novimus, quam cujus hæc omnia noverimus. Quoniam nullâ ratione aut modo melius, quam ex ipſis Operibus *Homines* ipſi, i. e. *Animæ* hominum cognoſcantur: & huic cogni-

cognitioni eorum omnium cognitio, quæ nihil ad animarum cognitionem pertineant, aut conferant, odio, invidiâ, vel amore obeſſe conſueverit.

Quanquam autem, quæ *Ratio* quemquam moverit, & quo *Auctore* ad Opus aliquod conſcribendum quiſquam acceſſerit, varias ob cauſas non omnino ineptè nonnunquam quæratur: hîc tamen perquam ineptè, ut opinor, quæretur. Tantum enim abeſſe à rectâ Ratione, & rerum humanarum non planè imperito oportere arbitror, ut quisquam quæreret, qùod mirari magis liceat & optimâ, neutiquam autem ineptâ ratione viciſſim quærere: Quamobrem Ego primus hoc

argumentum tractaverim, aut ità tractaverim? Et Nemo me prior quod ſciam extiterit, qui ita tractaverit? Quapropter ſi *Rationem*, quæ me moverit quiſpiam ſcire & cognoſcere velit: ea impia, inepta & pernicioſa omnis ævi Eccleſiaſticorum *Ambitio* eſt. Si *Auctorem*: Pia iſtius impiæ, ineptæ & pernicioſæ Eccleſiaſticorum ambitionis *Indignatio* eſt. Quis enim ſanâ mente præditus & omnis Veritatis, præſertim *Divinæ*, amans cupiduſque, nullo Jure nullâque Ratione omnia omninò Eccleſiaſticorum, quæ dicuntur, Privilegia eſſe ſubnixa non videret, ſi animum modò ad *Divinam* hanc *Veritatem* cognoſcendam applicuerit?

Quis

Digitized by Google

Quis quæſo, qui viderit, eam privilegiorum doctrinam, ob *impietatem*, *ineptias*, & *perniciem*, non indignaretur? Ego certè Neminem tantâ non dicam, ſtultitiâ & impietate, ſed nec animi ſtupore correptum fore arbitrari poſſum, qui ſumma *Indignatione* non commoveretur. Accedebat omnium ferè hominum incuria perquam deploranda, quæ eam rem non curent aut Veritatem non inquirant: Et hinc in omnibus ferè hujus *Veritatis* ignoratio, quam Eccleſiaſtici non modo fovent, ſed etiam procurant, ne quid mali falſique ſuſpicarentur. Denique & illud me vehementer commovit, & ſi nulla alia Ratio ſuperfuiſſet, vel

hæc ſola me ad hoc Opus conſcribendum compuliſſet: Quod & Dei Opt. Max. & publicæ privatæque utilitatis & ſalutis intereſſe arbitrabar totum hoc negotium Eccleſiaſticorum ita patefieri & doceri, ut *Sani* homines ab illis poſthac decipi non poſſent: *Pii* autem & *Boni* rectæ Rationi, & proinde Deo Opt. Max. & publicæ privatæque utilitati & ſaluti vitam convenientem inſtituerent. Quam obrem etiam mihi nequaquam convenire videbatur, ut, cum Tantopere prodeſſe poſſem, omnibus Animi Corporiſque viribus prodeſſe non conarer. Cæterum longâ & Excogitatâ oratione bonam fidem, quâ primò animum ad

hoc Opus conſcribendum applicui, quâ ſuſcepi, & ſuſceptum perſcripſi, non demonſtrabo: quia omnimodò fruſtrà eſſet; Nam adverſarii fidem dictis non adhiberent aut detraherent: Sanis autem & Piis & Bonis vel illæ ipſæ Rationes & Argumenta, quibus utor, plenam & indubitatatam, ut confido fidem facient. Quemadmodum etiam *calumnias* & *Captationes* Lectorum non deprecabor: Nam illi nihilominus quid vis calumniabuntur & captabunt: hi autem nullam calumniandi & captandi cauſam rationemque ſe habere fatebuntur. Et eandem ob cauſam, cum vano & inutili labore illorum calumniis & captationi-

tionibus reſponderem, jam nunc illis prædico, quæcunque adverſus Me ſive in hunc *ſingularem Librum* dixerint & ſcripſerint, me non reſponſurum. Novi enim hoc genus hominnm *Eccleſiaſticorum* & artes eorum, ut & aliorum corruptos *Mores* & *Iudicium*, qui his præceptoribus ſolis, & non ſuâ tantùm *Ratione* uti conſueverint: ut mihi latere non poſſit, quænam quibuſque de cauſis dicturi & ſcripturi ſint. Cæterum ſi fortè Viri Sani, Pii & Boni, quod fieri poſſet, illorum calumniis & captationibus à me Reſponderi oportere judicaverint: alio Libro ſingulari; cui *Arcana Eccleſiaſticorum* deſtinavi, plus ſatis forte reſpon-

Digitized by Google

ponſum erit. Nam in eo, uti cæteræ, ità & hæ calumniandi & captandi *Artes*, & quandò & quomodo eas adhibere ſolent, detegentur & explicabuntur. Ad Me enim quod attinet, graviſſimè errabunt, ſi Me ita levis, inconſtantis & degeneris eſſe animi exiſtiment, ut malevolos ineptoſquè homines vel minimi faciam, eorumque calumnias & captationes perhorreſcam. Nam provocare & irritare malim, ut illorum calumniis & captationibus, quemadmodum furioſorum vano impetù, & dementium ineptiis, me delectem: Illi autem ipſi *Mores* ſuos, & *Ingenium* oſtendant, & patefaciant, quæ occultari omnia illorum ſolum

lum, maximeque intereſt, non mea, qui ea uſu & ab illis ipſis cognoſcere malim, quam aliundè diſcere & excogitare. Et hoc tamen à me diſcant, quemadmodum Religionis publicæ & externæ *Veritas* non ita homines vulgò afficere & commovere ſoleat, quàm *Opinio* majoris doctrinæ & probitatis Eccleſiaſticorum, ita ſemper *Religioni publicæ* & *externæ* nihil magis obfuiſſe & nocuiſſe, quam *malos Mores* & *Ineptias Eccleſiaſticorum* patefieri & doceri. Qui interitus omnium Religionum publicarum & externarum fuit. Denique hoc ſciant, dicant licet & ſcribant, ut velint & poſſint, nullis *artibus* ſe effecturos, quo minus meæ

ſen-

ſententiæ Veritas ſaltem à nonnullis Piis, Bonis & ſuâ tantum Ratione duce utentibus *perſpiciatur*, à Cordatioribus etjam *tueatur*, uſuque publico paulatim *recipiatur*; & à me perficiantur, quicunque porrò *libri ſingulares* de ejuſdem generis materiâ & argumento jam dudum excogitati, & incepti brevi poſt tempore in lucem edantur. Quod illis denuncio, Pijs autem omnibus & Bonis & Sapientibus promitto.

Digitized by Google

Digitized by Google

De Jure ECCLESIASTICORUM, Liber Singularis.

Tit. I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Eccleſiaſticis, & quod Externam duntaxat Religionem & Publicam procurent.

Eccleſiaſtici ſunt, qui *Externam* & *Publicam* Religionem procurant. Quæ verba ne quam ambiguitatem pariant, & quo lucidius ea, quæ de Eccleſiaſticis poſteà dicturus ſum, intelligantur, notandum eſt: Religionem non unius generis & naturæ, ſed vel

Digitized by Google

Externam vel *Internam* eſſe; Et quidem *Externam* ab *Interna* eâ ratione diſtingui atquè ſeparari, quod hæc curam alterius, quam ejus hominis, cujus ea eſt, non recipiat: & quod proindè Prodii aliive, qui eorum auctoritate locoque Religionem Externam curant, procurantve, illam curare aut procurare non poſſint; Cum Καρδιογνῶσται non ſint, ut ſcire & cognoſcere poſſint, utrum quis Religioni *Externæ* convenientem *Internam* exerceat: Et multo minus eâ vi & poteſtate in alios præditi, ut illud efficere poſſent. Quamobrem etiam dicendum eſt, Deum ipſum, qui & omnia cognoſcit, & ſimul efficere poteſt, ut ita ſint, quemadmodum velit, hanc ſolum curare poſſe, & propterea eam ſolum curare, eique ſoli, qualis ea ſit, ab homine reddi rationem ejus poſſe, & debere.

Docere etenim & *erudire* Populum Religionis alicujus Publicæ

rudem,

Digitized by Google

rudem, aut ex ſententiâ Prodeorum non ſatis peritum, non eſt *Procurare*, quemadmodum ea vox hoc loco à me accipitur; Cum eorum Doctrinæ & eruditiones non juſſà ſint, aut ita rectè vocari debeant (fruſtrà enim aliquid jubetur, non modo cum qui jubet cogere Juſſum nequeat, ut faciat id, quod juſſum eſt, ſed multò magis, cum etiam ſcire & cognoſcere jubens nequeat, an Juſſus juſſum faciat) ſed *ſuaſiones* duntaxat & *conſilia*; quarum quorumque *Veritas*, ſicuti antè pronunciationem judicata fuit à Docentibus, ita poſt eam ab audientibus & diſcentibus dijudicari oporteat.

Cui conſequens eſt, omnem auctoritatem Docentium, & quidem in *Statu Naturali* apud Peritos, & Imperitos auditores, nihil aliud eſſe, quam *Opinionem majoris ſcientiæ conjunctæ cum probitate:* Quamobrem Periti eos audient,

Imperiti etiam credent. Quemadmodum hoc vulgò contingere videmus. in omnibus aliis artificibus, qui alicujus artificii Vulgo magis periti exiſtimantur.

Neque enim *Veritas* ſemper ſola Religionis eam Prodiis commendat, ut publicè eam doceri velint, ſive ut eam publicam faciant, ſed nonnunquam etiam *Utilitas*, & ea quidem aliquando feré ſola, quæ ad Rempub. indè Prodeorum judicio perventura eſt. Quæ quidem res hanc rationem habet: quod Religionem aliquam Populum docere *Privilegii* ſit privati, & quorumdam, non autem publici & omnium Civium, ſed quibus hoc à Prodiis conceſſum eſt, ut eam Religionem Prodeorum loco & auctoritate, aliorum munerum ſive Miniſteriorum publicorum exemplo, quæ omnia *Privilegio Publico* adminiſtrantur, curent, hoc eſt *procurent*. Quos quidem *Procuratores*,

tores, ex quo hoc Privilegium & Miniſterium Religionem publicam docendi à Prodiis acceperint, *Eccleſiaſtici* à me appellantur.

Religionem enim ſivè *Publicam*, ſivè ſuam & *Privatam* ſinè Privilegio & publicâ auctoritate docere, non eſt *procurare*, ſed *curare*: Quià eam ſuâ & privatâ auctoritate curarent: quæ cum nulla ſit, conſequens eſt, nihil Juris cuipiam privato competere Religionem aliquam in Republ. Sivè Civitate docendi. Et quidem, ſi ſuam & *privatam* Religioem curent, quo minus ea publicæ conveniat, eo longiùs à ratione illa res recedit. Nam ſive ea Doctrina Religionis Religioni Docentium internæ conveniat, ſivè ab eâ differat, utroque modo & Prodiis & publicæ auctoritati adverſari; & proindè *Eccleſiaſticos* eâ ratione appellandos non eſſe, quâ Ego eam vocem accipio, pluſ-

Digitized by Google

quam manifeſtum eſt: ſed potiùs. Cives Reip. ſivè Civitati noxios, malos, & hoſtes etiam, ſi ſua Doctrina à Religione eorum *Internâ* differre, aut ſcientes prudenteſque invitis Prodiis eam Religionem docere dicantur. Quæ omnia, aut ſi quæ ex his cuipiam minus explicatè ſcripta videantur facillima paulò poſt videbuntur, cum deinceps hoc agetur, ut ea explicatius ſcripta & tradita, & intellectu facillllima cenſeantur.

His itaque Prœmii loco præmiſſis, ut ambiguitatem vocis Eccleſiaſticorum, de quorum Jure hunc *Singnlarem librum* ſcripturus ſum, initio ſummoverem; nunc de ipſo *Iure* eorum, cujus illud, *Originis*, *quale* & *quantum* illud, ſive quæ partes ejus ſint, videndum eſt. Illud enim, contra atque omnes vulgò, qui ſe Eccleſiaſticos eſſe, vel Eccleſiaſticorum numero haberi volunt, ſive ſentiunt ſive contendunt, probandum ſuſcepi:

ſcepi: *Quodcunque divini humanique Iuris Eccleſiaſticis tribuitur, vel ipſi ſibi tribuunt, hoc aut falsò impièque illis tribui, aut non aliunde, quam à ſuis, hoc eſt, ejus Reip. ſive Civitatis Prodiis, in quâ ſunt conſtituti, accepiſſe.*

TIT. II.

De Origine & Progreſſu Juris & Poteſtatis Prodeorum: Ut appareat penes eos eſſe omne Jus & Poteſtatem Civitatis ſive Reip. nihilque Juris aut Poteſtatis penes Cives eſſe.

JUs & Poteſtatem Prodeorum tantum eſſe in omni Civitate ſive Rep. ut ab iis ſolis, quodcunque Juris & Poteſtatis Civibus competat, recteque tribuatur, derivari oporteat: quo lucidius poſſit intelligi, & ne mea à Veritate & rectâ Ratione ſententia ab-

abhorrens vel aliena, ſed convenientiſſima eſſe appareat, & à quòvis poſt hac credatur: Ratio rei tractandæ & demonſtrandæ Veritatis poſtulare videtur, ut inprimis de *Origine* & *Progreſſu* tanti Juris & Poteſtatis Prodeorum videatur, & deinde ad alia hujus rei conſequentia argumenta tranſeatur.

Primam omnis Juris & Poteſtatis *Originem* in ipſis Juris naturalis principiis quærenti & indè repetenti. non aliam, quam hanc, quæ vulgò omnium ore eruditorum imperitorùmque hominum circum ferri & prædicari ſolet, Originem comperiet; Quod omnes homines, pari conditione naſcuntur, ac proindè æquales ſint, & hujus rei nullam aliam rationem eſſe, quam quod Deus hominem homini non præfecerit, nec ſubjecerit alii alium: uti nec cætera animalia aliis alia præpoſuit; ſed viribus licet inæqualibus, tantis

Digitized by Google

tantis tamen creaverit, quantæ ad conſervandum & tuendum ſuum cujuſque Corpus utiles & neceſſariæ eſſent. Quibus ſi fortiores non abuterentur, ut imbecilliores ſuo Juri & Poteſtati *ſubjiciant*, unuſquiſque ſui Juris & Poteſtatis maneret: & ſic Æqualitas inter fortiorem & imbecilliorem, & proindè omnium naturalis integra & in ſolidum retineretur: quemadmodum inter abſentes & ſe mutuò ignorantes retineri palam eſt. *Liberum* enim eſſe nihil aliud eſt, quam ſui Juris & Poteſtatis, nulliuſque alterius ſubjectum Juri & Poteſtati eſſe. Et *Æqualem* eſſe, naturale illud in ſe Jus & Poteſtatem habere & nullâ ex parte penes alium eſſe, veluti eum, quocum quis comparatur, & cui æqualis eſſe dicitur: Par enim quiſque in ſe Jus & Poteſtatem habet.

Præter vim & majorem Poteſtatem, quâ invitus homo himini

ſubjicitur, alio quoque modo illud naturale Jus & Poteſtas amitti poſſunt: veluti *Conventione.* Nam nullâ ratione cogimur eo ſemper Jure & Poteſtate uti, aut prohibemur apud nos ita conſtituere, quod eo eâ ve non utemur. Voluntatis enim & facultatis hoc Jus & Poteſtas ſunt, non neceſſitatis quâ cogimur, aut Juris, quo obligamur: ſicuti nec cætera Jura, quocunque modo, ſive Naturali ſive Civili nobis acquirantur. Et ideo conveniri poteſt, ne eo quis Naturali in ſe Jure & Poteſtate tum utatur, cum alius ſuum in ipſum exercere Jus & Poteſtatem velit. Et hoc eſt non ſui naturalis Juris & Poteſtatis amplius, ſed alterius Iuris & Poteſtatis eſſe.

Si autem multi homines ſui Juris & Poteſtatis tædiò, deſiderio autem & ſpe ſtatus & Conditionis Naturali melioris & commodioris, quod in Statu naturali multa occurrant mala & incommoda,

quæ

quæ ſuperari & evitari poſſe ſtatus mutatione credunt, ita, unà conveniant, ut omne ſuum quisque in ſe Naturale Jus & Poteſtatem vel in *Omnes* pro indiviſo ſimul, vel in *Aliquos* ex hac multitudine, vel etiam in *Unum* ex his omnibus, qui convenerunt, transferat; Et poſtquam ita de transferendo ſuo cujuſque Jure & Poteſtate conventum eſt, ab uno quoque ex iis ſuum Jus & Poteſtas transferantur: quod fieri intelligendum eſt, ſimul ac promiſerit unuſquiſque eorum ſuo ſe Jure & Poteſtate neque in Multitudinem, neque in Aliquos, neque in Unum, quibus aut cui ſe transferre ſuum Ius & Poteſtatem unus quiſque declaravit, uſurum, ſed ut vel ea Multitudo, vel Aliqui, vel Unus in ſingulos & ſuo & omnium Iure & Poteſtate utatur & exerceat: ex Naturali Statu *Civilis* factus eſſe dicendus eſt.

Quod

Quod autem duplicem *Conventionem* feci, unam, quâ de tranſlatione Iuris & Poteſtatis multi homines paciſcantur, & aliam, quâ ſuum Ius & Poteſtatem transferant: non ità accipiendum eſt, quaſi Status Naturalis multorum in Civilem mutatio alio modo fieri, quam duplici Conventione non poſſit: ſed quià duplex Conventio ſolùm ſit multorum Jus & Poteſtatem & in Multitudinem, & in Aliquos, & in Unum communis modus transferendi. Nam in *Unum* multi eodem & diverſo tempore transferre ſuum Ius & Poteſtatem unà Conventione, hoc eſt, unus quisque pro ſe & extrà præcedentem aliorum ſocietatem poſſunt; ſed non ita ſimul vel in Omnes; vel in Aliquos ſibi æquales poſſunt. Prior enim quædam Conventio eſſe neceſſaria videtur, quâ quidem non ipſi, qui tranſlaturi ſunt, ſed etiam illi, in quos multorum Ius

Ius & Poteſtas transferentur, conveniant, ut tranſlatum Ius & Poteſtatem ſimul accipiant: Quam ſecunda Conventio de transferendo multorum Iure, & Poteſtate ſivè ipſa tranſlatio ſubſequeretur: aut ſi prior illa non præceſſerit conventio, (quoniam nullâ ratione prohibemur rem aliquam communem citrà ſocietatem nanciſci) tranſlationem ea Iuris & Poteſtatis ſubſequatur. Nam Civitatem ſivè Rempubl. citrà conventionem ſocietatis vel tacitam curare & adminiſtrare non video quâ ratione plures poſſent ſinè diviſione; quæ etiam ſine Conventione vel tacitâ fieri non poteſt: Et hoc modo in totidem Civitates ſive Reſpubl. quot diviſiones ſint factæ, una Civitas ſive Reſpublica mutaretur atquè ita perimeretur: Ut quoquo modo res accipiatur, duplicem & aliquandò triplicem, Conventionem in omni tranſlatione Iuris & Pote-

Poteſtatis, quâ ſtatus Civilis primò conſtituitur, omninò neceſſariam eſſe dicendum ſit. Nam quo minus multi ſtatui conſtituto ſive compoſitæ Civitati ſuum ei concedendo Ius & Poteſtatem poſteà accedant, ratio nulla apparet. Ut tamen nihilominus duplici, quamvis tacitâ conventione, ut puta Accedentis & in Civitatem recipientium Prodeorum opus eſſe dicatur; Quemadmodum poſteà clarius apparebit.

Triplicem quoque tranſlationem Iuris & Poteſtatis feci: ut eodem opere & negotio, quo ſtatus Civilis Originem explicatam, *Triplicem* quoque *ſtatum Civilem* (totidem enim eſſe communis omnium Politicorum ſententia eſt, & natura omnis Status confirmat) indicarem. Et ut inde haud difficultèr omnes intelligerent, qui ineptâ opinione ducti, non idem & æquale omnis ſtatus in Cives Ius & Poteſtatem eſſe exi-

exiſtiment, nullum diſcrimen Iuris & Poteſtatis Prodeorum in unoquoque horum ſtatuum conſtituendum eſſe.

Nunc quantum illud Ius & Poteſtas ſint in ſtatu Civili ſive Civitate, ſuper eſt, ut tractetur. Quam quidem rem ſi quis ex me quæreret, eum non aliâ ratione melius, quam hac mutuâ interrogatione doceri poſſe arbitror. Quantum, quæſo, Iuris & Poteſtatis unicuique homini Deus Opt. Max. donavit, ut ſe ipſum conſervando & tuendo adminiſtraret, & adminiſtrare poſſet? Et aliter reſpondere neminem poſſe palam eſt, quam tantum Juris & Poteſtatis omnibus hominibus & ſingulis generalitèr donaſſe, quantum ipſi videbatur neceſſarium ad ſe quemque conſervando tuendoque adminiſtrandum: Et tantum igitur Iuris & Poteſtatis naturalis omnium & ſingulorum ab omnibus & ſingulis vel in Multitudinem,

nem, vel Aliquos, vel Unum tranſiiſſe, dicam, quantum Iuris Poteſtatiſque eſt eritque neceſſarium ad hoc *Civile Corpus* conſervando tuendoque à Prodiis administrandum. Conſervari enim & tueri omnes & ſingulos ſimul, ejuſque conſervationis & tuitionis communis deſiderio & ſpe tanquam in unum Corpus coierunt & Naturalem ſtatum cum Civili permutando unum *Civile Corpus* effecti ſunt. Et proptereà, nequid voluntati coeuntium & convenientium aliquid diſſentanei fingatur, intelligendum & dicendum eſt, tantum Iuris & Poteſtatis naturalis omnes & ſingulos tranſtuliſſe, quantum ad id, quamobrem non retinere, ſed transferre ſuum Jus & Poteſtatem naturalem voluerunt, optima ratione, modoque efficiendum, eſt eritque neceſſarium.

Quantum autem Iuris & Poteſtatis transferri oportuerit, & proinde

inde tranſlatum eſſe dicendum ſit, ut hoc Civile Corpus conſervando tuendoque optima ratione modoque adminiſtrari poſſit, id non ex judicio transferentium, ſed eorum ejusve, quibus, cuive ſuum Jus & Poteſtatem tranſtulerunt, exiſtimadum eſt. Nam & hoc, transferendo voluerunt, ut ſuo non ſingulorum arbitrio, hoc Civile Corpus, & in eo ſingula Corpora naturalia Civium, ſed arbitrio Prodei, Prodeorumve, cui quibuſve omne ſuum Ius & Poteſtatem tranſtulerunt, adminiſtrarentur. Nam ſi ſuum quiſque Corpus etiam poſt Status Civilis conſtitutionem, & quidem ſuo arbitrio adminiſtraret, nulla ſtatus Naturalis mutatio facta eſſet; qui in eo vel ſolo conſiſtit, ut ſe ipſum quiſque; prout ſibi viſum fuerit, adminiſtret, nec ab alio, ſed à ſe ſolo adminiſtretur: Deinde & illud voluntati communi convenientium, &

Digitized by Google

transferentium ad verſatur, ut ſingulorum judicio hoc Civile Corpus adminiſtraretur. Nam in ſingulos ſinguli ſimul ſuum Ius & Poteſtatem non tranſtulerunt (qui transferendi modus & ſanæ Rationi & rei ipſius naturæ repugnat) ſed ſinguli ſuum naturale Ius & Poteſtatem vel in Omnes ſimul, vel Aliquos, vel in Unum, ſecundum ea, quæ ſuperius jam aliquoties notavi, tranſtulerunt. Et ideò, ſicuti ſinguli in ſtatus mutatione naturalis, & in Civili Statu conſtituendo non voluiſſe amplius dicendi ſunt ſuum Ius & Poteſtatem vel in ſe vel in alios pro ſuo arbitrio exercere, poſtquam ſtatus ille conſtitutus fuerit, ita poſt conſtitutionem amplius non velle (quia nulla voluntatis mutatio niſi novâ ſtatus mutatione & in naturalem converſione fieri poteſt) & proinde non velle aut poſſe quicquam dici oportere concedendum eſt, quod non modo

do

Digitized by Google

do ad conſervationem vel tuitionem hujus Civilis Corporis non pertineret, ſed etiam ei adverſari & obeſſe judicetur. Tantum enim Iuris & Poteſtatis unus quisque credendus, & ideò dicendus eſt tranſtuliſſe, quantum ad ejus communis Corporis commodum & utilitatem deſideretur, & tantum modo Iuris & Poteſtatis naturalis, & non amplius retinuiſſe, quantum ad utilitatem & commodum ſivè ad conſervationem & tuitionem iſtius Civilis Corporis non neceſſarium & inutile judicetur; aut ſi quod Ius & Poteſtas ſingulorum ſui naturâ tranſlationem non patiantur, quod quæque deluſoriam tranſlationem facerent. Ut hoc poſtremum vel uno exemplo *Religionis Internæ*, cujus ſuprà mentionem feci, ne plura afferam, intelligi facillimè poteſt.

Illud enim ſum moperè notandum eſt: in ſtatu Naturali, in

Digitized by Google

quo omnes a naturâ, id eſt, à Deo conſtituti ſumus, *noluntatem* & *impotentiam* naturali Jure & Poteſtate utendi, pro, eâdem re accipi oportere, ſi illius Iuris & Poteſtatis vim & effectum intueamur; Et hac ratione dicendum etiam eſt, quia nolle credendi ſunt ſuo Iure & Poteſtate uti, eo eâque propterea uti non poſſe, perindè ac ſi utriuſque expertes eſſent. *Iudicium* quoque & *Arbitrium* naturali Iure & Poteſtate utendi dicendi quoque ſunt in ſtatus Naturalis in Civilem commutatione non retinuiſſe, ſed quaſi ea quoque alterius fieri poſſent, tranſtuliſſe. Quæ tranſlatio in eo conſiſtit, quod noluerint ſuo amplius Judicio & Arbitrio, ſed aliorum judicio arbitrioque vitæ rationem inſtituere, quos ſibi præpoſuerunt. Re verâ enim ejuſmodi facultates naturales transferri non poſſunt & aliis acquiri, ſed deſinere tantùm poſſunt

ſunt

ſunt maxime cum interitù ejus, cui decedunt, ut tamen aliis non acquirantur. Eâ enim naturâ & conditione has & cæteras *Animæ facultates* Deus Opt. Max. eſſe voluit, ut penes unum quemque iis à naturâ præditum inſtructumque permanerent, non autem transferri in alios aut deponi poſſent. Et cum etiam noluerit ſalutem & commodum hominum, ipſis hominibus intereà conquieſcentibus, immediatè (ut loquuntur) curare, præter Ius, quo unicuique liceat, & Poteſtatem, qnâ unuſquisque poſſet ſe ipſum tueri, juvare, & propriam ſalutem curare, *Ratione* inſuper homines donavit, cujus uſu in ſingulis rebus gerendis adhibito Ius illud & Poteſtatem moderarentur. Per quam Rationem quia hominibus immediatè imperet & regat, eumque nihilominus hominum propriam fecerit, & ut ea talis ſit animæ facultas, quæ ab Anima vel

cogitatione ſeparari non poſſit, & in quâ *Animæ ſubſtantia* veluti conſiſtat, ipſave ſit *Anima*, & proindè potiſſima pars hominis; non ineptè, ſed huic ipſi Rationi convenientèr dici poteſt, ipſos homines *Deos* quodammodo ſibi factos eſſe, ſibique ipſis à Deo Opt. Max. præpoſitos, cum hæc Ratio, & Deus per eam ipſis imperet, & regat: Ut etiam Dei Opt. Max. vices gerere recte dici poſſint, quicunque in ſtatu Naturali per omnia & in omnibus, & in ſtatu Civili, quatenus Jure Civitatis liceat, aut Animæ facultates Prodeorum Juri & Poteſtati non ſint ſuppoſitæ, aut ſui naturâ ſupponi non poſſint, ſolam *Rationem ducem* & *magiſtram* ſequantur. Quamobrem, ſi illud naturale Jus & Poteſtatem eo modo, quo transferri poſſunt, in alios aliumve tranſtulerint, (quod feciſſe intelligendi ſunt ſimul ac ſe alienæ Rationi & arbitrio commiſe-

miſerint tum, quatenus dicantur dicive poſſint tranſtuliſſe, confeſtim etiam deſierunt, ſibi Dii hoc eſt, ſibi ipſis Dei Opt. Max. *Vice* & *loco* eſſe, & illi *Dii Deus* ve facti ſunt, ſive Dei Opt. Max. *vices* gerunt *locumque* obtinent, quibus vel cui omnis Juris & Poteſtatis tranſlatio facta eſt; Quos quemve propterea jam ab initio hujus Libri ſingularis *Prodeos Prodeumve* appellare conſtitui.

Cum igitur tantum ſit Jus & Poteſtas Prodeorum, quantum eos accepiſſe à ſingulis hominibus docui: facili opere & negotio ut erroneæ redargui poterunt Opiniones variæ Multorum: diſtinguentium, non ita omne omninò dici debere tranſlatum Jus & Poteſtatem omnium & ſingulorum eſſe, ſed potius inſpici *Pactiones* & *Conditiones* transferentium oportere, quibus interpoſitis illud illamve tranſtulerint. Quorum Opiniones mihi non

modo omni prorſus ratione deſtitutæ videntur, ſi fortè etiam aliis Conditionibus & Pactionibus interpoſitis, præter hanc unam tranſlatio Juris & Poteſtatis facta dicatur; *Ut ſola communis Omnium ſalus, & publica Utilitas quæratur*; Verum etiam à ratione ſanâ abhorrentes, & prorſus alienæ. Nam præter hanc unam & aliæ Conditiones Pactioneſque interponi non video quâ ratione modoque poſſint. Si quidem ſinguli ſibi quid præcipui paciſci in transferendo non poſſint, quo aliis anteponantur aut præponantur, niſi & eâdem Pactione à tacitâ illâ vel manifeſtâ ſocietate recedant, quâ de ſingulorum naturali Jure & Poteſtate ſimul & æqualiter transferendo convenerunt, aut dicendi ſunt conveniſſe. Cujuſmodi ſocietas omnem ſtatus Civilis conſtitutionem ante cedere ſempèr dicenda eſt, niſi aliter inita manifeſtò probetur.

Si

Si tamen contingat, ut quidam aut omnes & ſinguli variis Conditionibus & Pactionibus ſuum Jus & Poteſtatem tranſtulerint, ſemper erunt illæ & à Prodiis ſolis, & ita quidem interpretandæ, ut ipſi eas tunc tantum, nec aliter ſequi debeant, quam ſi *ex animi ſui ſententiâ* arbitrentur, *communi omnium Saluti & publicæ Utilitati convenire, & nullo modo aut ratione adverſari.* Quod quamvis durum fortè videatur, certæ tamèn & expeditæ rationis eſt. Quià eâ mente omnes tamen & ſinguli, & propterea omnes ſimul ſuum Ius & Poteſtatem in Prodeos tranſtulerunt, ut non ſuo amplius judicio & arbitrio vitæ rationem inſtituerent, ſed judicio & arbitrio Prodeorum in omnibus & per omnia ſtarent & obſequerentur: quibus ſolis ſe ſingulos, & omnes ſimul ſalutis & utilitatis publicæ *curam* commiſerunt. Ut hanc tamen mentem in paciſcendo, quid-

vis licet pacti ſint, credendi & dicendi ſint habuiſſe. *Ne quid per eas Conditiones & Pactiones contrarii eveniat & committatur, quod & communi omnium ſaluti & publicæ Utilitati obeſſet, aut quo ſtatus Civilis in Naturalem quoquo modo converſus videri poſſet*: Quo in ſtatu ſui ſolum commodi privati & privatæ item utilitatis ratio habetur. Quamobrem ejuſmodi *Pactiones & Conditiones* pro *erroribus* paciſcentium habendæ ſunt, quos cum ipſi ſinguli ob tranſtatum in Prodeos Ius & Poteſtatem denuò paciſcendo corrigere & emendare amplius non poſſint aut debeant, & tamèn Civitatis ſivè Reip. inter ſit eas corrigi & emendari a ſolis Prodiis corrigi & emendari poſſunt atque debent.

Atque ita pùto me oſtendiſſe & probaſſe, quod ſit ſingulorum hominum in ſe Jus & Poteſtas Naturalis; Quomodo etiam & quatenus transferantur in Civilis

ſtatus

ſtatus conſtitutione. Sed quia vereor, ne ea quæ de ſtatus Civilis Conſtitutione hujuſmodi hactenus diſputavi, variis nominibus cauſaſque ob varias multi fortè calumniabuntur. Propterea maximè; Quod eo modo nulli ferè Status Conſtituti eſſe reperiantur, & quod omnium ferè ſtatuum Origines primæ ignorentur, ut dici certò non poſſint ita, & eo Jure & Poteſtate conſtituti eſſe: Nonnihil antè dicendum erit, quam hoc argumentum à me deſeratur, ut etiam hoc a me diſcant, quocunque modò Status Civilis conſtituatur, aut olim conſtitutus fuerit, & generalitèr, in omni Statu Civili, qualis qualis ille ſit, penes quos ſummum ſit Jus & Poteſtas illud Jus & Poteſtatem in omnes & ſingulos Cives ſemper tantùm eſſe, quantum ſempèr transferri, ſempèrque tranſlatum eſſe dici oportere ſuprà demonſtraverim. Nam hoc utique omni dubio procul

cul eſt, ſuam omnem ſtatum ſive Civitatem originem habuiſſe, & aliquando aut omninò non fuiſſe, aut talem non fuiſſe, qualis nunc eſt. Quamvis igitur primæ illæ omnium ſtatuum Origines fortè ignorentur, quando ex ſtatu Naturali olim conſtituti ſunt (quod tamèn aliquandò non aliter factum eſſe ipſâ ratione magiſtrâ docemur, licet omni prorſus Vetuſtatis teſtimonio de Statuum ſingulorum primâ Origine & Conſtitutione deſtitueremur) nihilominus tamen dicendum eſt. Singulos ſtatus ſive Civitates ejus eſſe naturæ & conditionis, & Prodeos in iis tali tantoque Jure & Poteſtate præditos, ac ſi ætates eorum nobis cognitæ eſſent. Quemadmodum animadvertere licet in omni ſtatu ſive Civitate Prodeos tantum in omnes & ſingulos Cives Jus & Poteſtatem exercere, quantum eos ab omnibus & ſingulis nanciſci nactoſque eſſe

do-

docuerim. Ut propterea nihil rationis eſſe exſtimem, quarè Juris & Poteſtatis minor vis eorum Prodeorum eſſe diceretur, quibus ità & quo tempore tranſlationem Juris & Poteſtatis factam eſſe ſciamus, quam dę quibus ignoremus. Quoniam ſi eo modo argumentari liceat ad Prodeorum in ſingulis ſtatibus ſive Civitatibus Jus & Poteſtatem infirmandum, illiſque totum vel ex parte adimendum, multo magis dicere liceret, ſtatus ſingulos ſive Civitates jam amplius ſtatus ſive Civitates non eſſe, & proinde nequè Prodeos, neque Cives eſſe, qui pro talibus nunc tamen habentur. Nam quod Jus & Poteſtatem omnes & ſinguli non videntur manifeſtè tranſtuliſſe, nec Prodii acquiſiiſſe viderentur, & proindè omne Jus & Poteſtatem omnium & ſingulorum vel partem aliquam iſtius Juris & Poteſtatis penes omnes & ſingulos manſiſſe. Adeoque

que Uſu & eo quidem tanquam precario penes Prodeos tantum eſſe, qui patientiâ ſingulorum & omnium, nulloque Jure utrumque exercent. Dicam amplius, poſt exiguum admodum tempus omnes ſtatus, ſive Civitates poſt primam Originem & Conſtitutionem inter nos ſuperfuiſſe, ut pote donec illi etiam omnes & ſinguli ſupereſſent, qui ſuum Jus & Poteſtatem tranſtulerunt, quique eâ tranſlatione & per eam Prodii facti ſunt: ſed paulatim eſſe deſiiſſe; Quando quidem nec *Advenæ* nec *Aborigines*, qui non multo poſt tempore ſoli ſuperfuerunt, ſuum Jus & Poteſtatem tranſtulerunt, nec proindè primi illi Prodii illud illam que acquiſierunt. Et qui poſt eos, Prodeos egerunt, nullâ tranſlatione Juris & Poteſtatis (ſinè quâ tamèn Prodii nulli fieri poſſunt) Prodii facti ſunt. Verum longè aliter hanc rem ſe habere palam

eſt.

Digitized by Google

eſt. Nam qui ſtatum Civilem ſive Civitatem conſtituerunt & Prodeos ſibi propoſuerunt, non eâ mente animoque id fecerunt, ut ſingulorum interitu Civitas quoque ſtatuſque Civilis interiret: Quod eodem momento, quo conſtituitur, ob vitæ humanæ incertum fieri poſſet, ſed longa & æterna commoda ſibi in ſtatu Civili ſive Civitate conſtituendo ob oculos poſuerunt, quæque ad ſuos liberos Nepotes, & qui ab his naſcerentur pervenirent. Cum per hos ſolos ſupereſſe poſſint, cum ſupereſſe deſierint: Ut alia infinita commoda diuturni & æterni ſtatus ſivè Civitatis prætermittam. Nec aliud ſibi pretium tranſlati Juris & Poteſtatis promiſerunt, quam quod tam longitudine temporis & diuturnitate, quam commodorum magnitudine & multitudine ea tranſlatio compenſaretur. Quod etiam communia & publica omnium ſtatuum

tuum ſive Civitatum ſtudia & negotia, & omnes Iuris Poteſtatiſque Prodeorum partes, quæ omnia certiſſima ſunt mentis animique conſtituentium in omni ſtatu ſive Civitate indicia, demonſtrant. Dicendum etiam eſt, neque hanc fuiſſe mentem animumque conſtituentium, ût qui peregrè poſt advenirent, omnium illorum commodorum, quæ Iuris & Poteſtatis ſingulorum pretium ſunt, participes eſſent, & ſuum tamèn Ius & Poteſtatem retinerent, ſed eâ mente & conditione *Advenas* in civitatem recipi, ut idem etiam ſummum Jus & Poteſtatem in ſe exerceri patiantur, & ſic æquali (ſi non deteriori) conditione, non autem meliori ſe eſſent qui ſtatum Civilem primi conſtituerunt: quo pacto etiam horum Jus & Poteſtas transferuntur. Quod multo magis dicendum eſt de *Liberis* eorum, qui quòd in poteſtate Parentũ ſunt, in eorum etiam

Digitized by Google

etiam ſunt poteſtate, quibus Parentes ſuppoſiti ſunt. Dicendum enim eſt, in omni ſtatu ſive Civitate ſi non manifeſta ſit, tacitam tamen, quæ uſu publico ſatis eſt in omni ſtatu ſive Civitate manifeſtam, legem eſſe. *Nequis adveniat, incolat, publiciſque commodis utatur, qui ſuum naturale Ius & Poteſtatem in Prodeos transferre, proque tranſlato tranſlatâque habere, haberique nolit. Et qui advenerit incoluerit, publiciſque commodis uſus fuerit, ut Ius & Poteſtas ejus his rebus transferantur, & is ipſe illud illamque, & alii Cives pro tranſlato tranſlataque habeant. Et ſi quis pro tranſlato tranſlatâque habere haberique nolit, ut hoſtis, non Civis ſit.* Si quis igitur ſciens prudenſque adveniat, incolat, publiciſque commodis utatur niſi eâ mente animoque hoc eum feciſſe dicatur, quaſi ſuum Jus & Poteſtatem prò tranſlato tranſlatâque habentis haberique ab aliis volen-

tis, negari non poteſt, cum pro Cive ſe haberi nolit, & tamèn publica commoda, quæ ſtatus Civilis ſunt propria, ſibi capiat, aliisque, quibus ſolis debentur, præcipiat, prohoſte habendum eſſe. Quidquid enim præcepit, præripuit, & quidquid uſus eſt, quod alii uti potuiſſent & voluiſſent, injurià alios uti videri prohibuiſſe. Ex quibus factis hoſtes judicari rectè ſolent. Quamobrem qui legi illi omnium Statuum ſivè Civitatum communi obſequi velint hi tacitâ conventione non minus dicendi ſunt ſuum Jus & Poteſtatem poſteà tranſtuliſſe, atque illi, qui aliquando ipſum ſtatum Civilem ſive Civitatem conſtituendo ſuum Jus & Poteſtatem tranſtulerunt. Nam cum manifeſta tranſlatio ſivè conventio verbis manifeſtata, nihil ſit aliud, quam Voluntatis transferendi indicium magis conſpicuum, & voluntate tamèn, non

non verbis, niſi voluntatem ſignificantibus, Jus & Poteſtas transferantur, non minus Jus & Poteſtatem transferri dicendum eſt, quod quæque non verbis, ſed factis transferri ſignificentur.

Atque hoc modo nos omnes, qui in ſtatu Civili ſive Civitate incolimus, publiciſque ſtatus noſtri ſive Civitatis commodis utimur, Cives facti ſumus, noſtrumque Jus & Poteſtatem tranſtuliſſe intelligimur, & verè etiam tranſtulimus. Ut illam objectionem de Origine Statuum ſive Civitatum, aliaſque, de quibus ſuprà mentionem habui, quæque præterea plures fingi poſſent, ſi malâ mente & dolo malo adverſus Civitatem noſtram fingantur, Crimen quodammodo Majeſtatis Cogitando committatur: Quoniam ejusmodi objectiones confingendo hoſtilem animum, & adverſos ſaluti publicæ & utilitati mores fingamus, & efficiamus:

quod boni Civis animus & officium fieri non patiuntur. Apparet igitur ex his, quæ breviter hoc Titulo diſputavi: Quemadmodum ſtatus Civiles ſivè Civitates generaliter conſtituantur, & perpetuentur: Æternique eſſe poſſint atque fiant. Quæ quidem in pluribus caſibus & ſpeciebus, præcipuè ubi Prodii morte intereant, & Civitates ſingulive ſtatus vi armatâ tam internâ quam externâ, quaſi diſſolvantur, & rurſus conſtituantur, tractare & diſputare potuiſſem, quid de hujusmodi rebus ſingulis & aliis conſimilibus ſentiendum ſit, niſi hujus *Libri* Inſcriptio, quæ aliud argumentam magis deſiderat, me prohibuiſſet. Quamobrem ſatis erit hoc loco id tantum admonuiſſe, in omni mutatione, quæ ſtatu Civili vel Civitate conſtituto vel conſtitutâ eveniat, ſivè ea ipſi ſtatui vel Civitati ſive ſolis Prodiis contingat, ſi ſtatus Civilis ſive Civi-

tas

tas vel manſiſſe nec diſſolutus, vel diſſoluta, vel poſt diſſolutionem, licet momentaneam, rurſus conſtitutus vel conſtituta eſſe dicatur, cum verus ſtatus ſive Civitas nihilo magis, ſi non vetus, ſaltem novus, ſit dicendus, valere *Legem* illam *publicam*, quam ſuprà poſui, & ejus vi omnes ſtatus ſive Civitates perpetuari & æternos fieri: Quod exemplo Societatis privatæ elegantèr declarari poteſt. Nam ſicuti nihilo minus ſocii ſunt, qui jam conſtitutæ ſocietati conſentiunt, quam qui eam primi conſtituerunt; Neque minus commodi ex eâ pro ratione licet perſonarum, temporis, portioniſque percipiunt, ita nihilominus legibus ſocietati datis tenerentur, qui ab initio multitudini conſtituentium, quam qui poſt conſtitutæ ſocietati acceſſerunt. Ut hoc tantum in omni ſtatu ſive Civitate inſpiciendum ſit, an pars ſive Civis ejus eſſe quis velit, &

quinam in eo Jus & Poteſtatem ſupremum in privatos ſivè Cives exerceant. Quos omnimodo revereri, eorumque juſſis, non noſtro arbitrio, vitam & negotia omnia inſtituere, & gerere debemus.

Tit. III.

Æqualitatem omnium hominum Naturalem ſtatus Civilis conſtitutione in *Privatis* non mutari. Et propterea omnem Inæqualitatem, quæ ſingulorum hominum eſt in ſtatu Civili ſivè Civitate, à Prodiis deſcendere & derivari.

IN ſtatu Naturali eam eſſe conditionem omnium hominum, ut æquales ſint, nec quiſquam in alium, ſed in ſe ſolum omne Jus & Poteſtatem habeat, & exer-

ceat: niſi fortè *Vi* naturale in ſe Jus & Poteſtatem amiſerit, vel *Conventione* tanſtulerit, ſuperiori Titulo ex poſitum eſt. Oſtendi etiam, quanta mutatio illius Juris & Poteſtatis fiat; ſi ſtatus Naturalis in Civilem commutetur. Nimirum, quod omne Jus & Poteſtas, quod quamque à naturâ ſinguli habent in ſe ipſos, tranſeant in Prodeos, nec maneant amplius, ſingulorum. Ut ſuperflui laboris eſſet Deinceps ex ponere, quod Privatis Prodii inæquales eâ re facti ſint; Et deindè, quanta Privatos intèr & Prodeos Inæqualitas inter cedat, cum ex Inæqualitate Juris & Poteſtatìs, & utriuſque Uſu & Exercitio ea ſatis cognoſcatur, & innoteſcat. Verum illud videndum eſt, an Æqualitas omnium naturalis, poſtquam ſtatus Naturalis in Civilem commutatus eſt, tantam rerum omnium mutationem attulerit, ut etiam ex æqualibus in-

D 4 æqua-

æquales inter ſe Cives facti ſint: Et ſi quidem Æqualitatis in Inæqualitatem intèr Cives commutatio Status mutatione Naturalis facta dicatur, eam duobus temporibus factam eſſe oportet, eove quod Conventionem tacitam vel manifeſtam de Statu Civili conſtituendo; Vel etiam eo, quod ipſam ſtatus Civilis conſtitutionem anteceſſit. Nam tertio tempore, ſive eo, quod ſtatus mutationem & Civilis ſtatus conſtitutionem ſecutum eſt, ex tranſlatione ejus & Juris Poteſtatis Naturalis Inæqualitas introduci non potuit, quod quamque omnes & ſinguli jam antè in Prodeos tranſtulerant, nec erat amplius ſingulorum, ut id eamque transferre poſſent. Primo autem illo vel ſecundo tempore, quod vel Conventionem de ſtatu Naturali in Civilem commutando, vel ejuſdem in Civilem commutationem anteceſſit, Inæqualitas ejuſmodi inter eos

eos introducta dici non poteſt, qui unà cum cæteris ſuum Jus & Poteſtatem in Prodeos transferrent. Nam ex quo ſuum Ius & Poteſtatem in alios tranſtuliſſent, id eamque poſtea in Prodeos transferre non potuiſſent, & proptereà non tanſtulerunt: Cum præterea, ſi quid Iuris & Poteſtatis illa priſtinâ tranſlatione Uni Pluribusve acceſſiſſet ex quo hi unà cum cæteris omne ſuum Ius & Poteſtatem in Prodeos tranſtulerunt, & hoc acceſſorium Ius & Poteſtas in Prodeos tranſierint: Quemadmodum hoc latè comprobari poſſet, niſi alibi latius tractaretur. Adeò ut hi, qui in Privatos antè ſuum Ius & Poteſtatem fortè tranſtulerint, cæteris non ſint connumerandi, de quorum Inæqualitate, quæ ex communi Status Naturalis mutatione orta eſſet, hoc in loco quæſtionem inſtitui. Et vel proptereà multò minus, cum his tantum inæquales

eâ anteriori tranſlatione effecti eſſent, in quos ea Iuris & Poteſtatis tranſlatio facta eſt; Cæteris autem æquales manerent, quibuſcum ratione Inæqualitatis comparandi non eſſent: Quando quidem in hos nihil Iuris & Poteſtatis acquiſierint. Adeò, ut omni modo dicendum ſit, Æqualitatem Naturalem inter Cives, Naturalis ſtatus in Civilem commutatione non mutari, ſed integram & intactam manere. Nihil enim refert, quod quidquid erat Juris & Poteſtatis in ſtatu Naturali penes ſingulos, illud omne jam tranſlatum ſit in Prodeos, ut vel eâ ratione ſibi ipſis ſinguli diſſimiles & inæquales ſint effecti: niſi etiam dici poſſit, uti ſibi ipſis ita & aliis inæquales factos eſſe: quod tamen abſque omni ratione diceretur: Cum hi alii, quibuſcum Inæqualitatis ratione compararentur, in eos nihil Juris & Poteſtatis, Civilis Status conſtitutione

tutione acquiſierint. Illud enim totidem verbis longiorique oratione hactenus demonſtrare volui, à Civibus in Cives ipſâ Naturalis ſtatus mutatione & in Civilem commutatione nihil Juris & Poteſtatis tranſiiſſe, ſed quantum Iuris & Poteſtatis ſingulis deceſſerit, tantum ſolis Prodiis acceſſiſſe; Et quibus proindè ob eam tranſlationem Juris & Poteſtatis inæquales conſtituti ſunt, & nequaquam aliis Civibus, quibus nihil ejus tranſlati Juris & Poteſtatis acceſſit, aut acquiſitum eſt.

Cum igitur demonſtratum ſit Æqualitatem omnium hominum Naturalem ſtatus Civilis conſtitutione in Privatis non mutari, ſed æquales, ut in conſtituendo ſtatu Civili, ita poſt conſtitutionem ejus manſiſſe; Et nihilominus in omni Statu Civili ſive Civitate varia genera Inæqualitatis, multiſque modis Inæquales inter ſe Cives reperiantur, operæ pretium

Digitized by Google

tium erit, ut de cauſis ejuſmodi tamque variæ Inæqualitatis nonnulla admoneam, quæ univerſum hujus Operis argumentum egregiè illuſtrabunt.

Imprimis itaque notandum eſt: Nullam omninò Inæqualitatem, qualiſcunque ea ſit, a Privatis ſive à Civibus procedere, aut Jure privato acquiri poſſe; Cui conſequens eſt, omnem omninò Inæqualitatem à Prodiis ad Privatos & Cives pervenire, & Jure publico pertinere: aut Inæqualitatem, cum aliunde procedere non poſſit, nullam omninò reperiri. Quæ res vel ob id minus difficultatis habet, probatuque facilior eſt, cum uſu quotidiano omnium Statuum ſive Civitatum confirmetur. Sed non perinde modi, quibus tàm variæ Inæqualitates à Prodiis proveniant, & ad Privatos & Cives pertineant, vulgò ſunt cogniti: Quamobrem nonnihil de his breviter exponã.

Quan-

Digitized by Google

Quanta ſit Inæqualitas Prodeorum & Civium, in quos illi omne Jus & Poteſtatem exercent, jam ante oſtendi. Et porrò etiam oſtendi, mutationem Juris & Poteſtatis *Privatis* quidem & Civibus accidiſſe, non tamen adjeci, & *Prodiis* aliquam accidiſſe. Nam hi integrum ſuum Jus & Poteſtatem non modo retinuerunt, ut ex his, quæ hactenus diſputavi, & ex ipſius rei naturâ conſtat, cum nihil Juris & Poteſtatis tranſlatione amiſerint, ſed Naturali inſuper ipſorum Juri & Poteſtati tanta Juris & Poteſtatis acceſſio facta eſt, quantum Juris & Poteſtatis omnium & ſingulorum ab omnibus & ſingulis tranſlatione acceperint. Et huic conſequens eſt, multo propterea minus aliquam qualemcunque horum facultatibus Naturalibus mutationem accidiſſe cum eæ transferri aut acquiri non poſſint: Quemadmodum ſecundo Tit. cum de na-

naturâ Juris & Poteſtatis naturalis, quod quæque in Prodeos transferuntur, & tranſlatione iisdem acquirantur, tractarem, latius explicavi: Et propterea non erit, ut òpinor, neceſſarium, ſed planè ſupervacuum, ut Prodeos, perinde ac Privatos, & *velle* & *nolle*, voluntatemque & noluntatem verbis aliiſve ſignis demonſtrare poſſe oſtendam. Et otioſum eſt docere, quod tam voluntas quam noluntas, quæ verbis demonſtratur, manifeſta, & quæ aliis ſignis manifeſtatur, tacita vocari debeat: veluti, ſi quis ſciens patiatur quid fieri, quod ipſo nolente vel non fieri poſſet, vel pro infecto haberetur, & tamen pro facto habeat: aut prohibeat quid fieri, quod ipſo non prohibente fieret. Quibus caſibus ea voluntas vel noluntas tacita vocaretur, cum verbis ſcriptove manifeſta non ſit.

Si cui igitur Privato ſivè Civi par-

partem aliquam Civium, aliudve negotium publicum procurare Prodii vel mandent, vel per ſe procurare ſcientes patiantur, & procurantem tamen non prohibeant, eorum manifeſtâ vel tacitâ voluntate eatenus cæteris Civibus inæqualis eſt effectus, quatenus aliquid Juris & Poteſtatis Prodeorum in alios, aut in rem ad ſe non pertinentem exerceat. Et hic quidem primus & nobilior modus eſt, quo quis *Miniſterio publico* inæqualis efficitur.

Alia ſpecies Inæqualitatis ex *Inæquali quantitate bonorum*, quæ quis præ aliis Civibus poſſidet, deſcendit. Neque ſine ratione quis ab ea inæqualis cæteris eſſe, & dicitur & habetur. Nam quamvis omnes modi bona acquirendi ob publicæ utilitatis rationem à Prodiis conſtituti, & omnibus proinde communes facti ſint. Et propterea is ipſe, qui illis uſus ſit, per eos bona, vel majorem quanta-

tita-

titatem bonorum, quam quæ quantamve alii acquiſiverunt, fortè acquiſierit, non eſt ſuperior aliis Prodeorum voluntate conſtitutus, aut præpoſitus, & tamen inæqualis illis eſt, qui aut nihil bonorum, aut inæqualem & minorem quantitatem acquiſiverunt: Eſt enim cur eum pauperiores metuant, cum ejus naturale Jus & Poteſtas, quo quaque Prodeorum conceſſione communi uti poſſit, bonorum acceſſione majorem vim incommodi quid afferendi acquiſierint aut cur eodem ſuo Naturali Jure & Poteſtate adverſus eum alii uti nolint, ſed magis illud illamve ei quaſi commodare, ut viciſſim ab eo beneficia accipiant. Quamvis enim nocere Cives Civibus ſuo Jure non poſſint, multum tamèn intereſt, Jus & Poteſtas alterius utrum nobis juſti & liciti etiam incommodi nonnihil, multumve, an commodi indebiti afferant.

Alia

Digitized by Google

Alia & tertia ſpecies Inæqualitatis, præter eam, quæ ex *Miniſterio publico*, vel *bonorum poſſeſſione* oritur, ex *præſtantiâ Iuris & Poteſtatis* naturalis à Prodiis conceſſi conceſſæque deſcendit. Nam ſi cui ſuo Naturali Iure & Poteſtate præ aliis magis uti ſpeciali privilegio, Prodii concedant, aut uti patiantur, & cæteris non concedant, aut alios ità uti non patiantur: hoc Iuris & Poteſtatis uſu, quo cæteris *præſtat*, cæteris eatenus inæqualis eſt effectus. Et hujus Inæqualitatis ſpecies ſunt, quoties uni pluribuſve ex Civibus quippiam etiam ſibi & non in alios facere permittitur, quod omnibus ità non permittitur. Ut ſunt omnes nudi honores & dignitates. Et has quidem Inæqualitatis ſpecies erumeraſſe ſuffecerit, ut earum exemplo cæteræ quoque ſpcies Inæqualitatis cognoſcantur, quibus omnibus univerſum hujus Operis argumentum egregiè illuſtrabitur:

tur: cum ex his & illis ſciri & cognoſci poſſit omnem omninò Inæqualitatem Juris & Poteſtatis variis quidem modis acquiri, variiſque in rebus conſiſtere, ſed à ſolis tamen Prodiis procedere: nullumque Civem aliundè inæqualem cæteris Civibus effici poſſe, quam à ſolis Prodiis, ſive ex eorum tacità vel manifeſtà voluntate inæqualis efficiatur.

Denique notandum eſt: volendi nolendique facultatem naturalem, uti in omnibus hominibus, ita proinde & in Prodiis mutabilem & ambulatoriam eſſe & dici oportere. Ut vel indè & hoc diſcatur, quemadmodum manifeſtâ vel tacitâ voluntate Prodeorum inæqualis quis quandoque effici poſſit, ità contrariâ voluntate eorumdem tàm manifeſtâ quam tacitâ cæteris inæqualem effici poſſe. Et ſi inæqualis efficiatur, de mutatione Juris & Poteſtatis Jure queri non poſſe. Cum omnis

Digitized by Google

omnis inæqualitas à ſolâ voluntate Prodeorum & revocatoriâ conceſſione uſus Juris & Poteſtatis naturalis pendeat, & cum eâ ambulet. Quod etiam dicendum eſt, quamvis Prodii verbis promittentibus & ſe obligantibus uſi ſe non revocaturos Juris & Poteſtatis naturalis uſum alicui promiſiſſent: quòd ex omni ejus modi promiſſione Naturalis tantum obligatio oriri queat, quæque proinde in ſtatu Civili ſive in Civitate nolentibus Prodiis nullam vim habeat, in quo quâve illi Cives ſunt, & non amplius in ſtatu Naturali: in quo ſolis Civibus, & non ſibi leges præſcribunt, aut præſcribere poſſunt: Cum ſe ipſum quis jubere non poſſit, aut ita quid velle, ut idem poſt nolle non poſſit: Quemadmodum poſt eà, & alibi latiùs & explicatius disputabitur.

Tit. IV.

Omnem Inæqualitatem Eccleſiaſticorum non minus aut aliter, quam cæterorum Civium à ſolis Prodiis procedere: Nec ullum illorum & horum diſcrimen eſſe.

HActenus nullo diſcrimine habito omnium, qui in Statu Civili ſive Civitate ſunt, & Civium numero habentur, Æqualitatem, quam à ſe ipſis habent, & Inæqualitatem, quam à ſolis Prodiis acquirere debent, atque poſſunt, expoſui. Verum an aliquid hos omnes inter & Eccleſiaſticos Cives diſcriminis ponendum ſit, hoc Titulo, & quidem explicatius, tractare conſtitui: quamvis facillimo negotio, repetitione quamvis leviſſimâ factâ eorum, quæ ſuperioribus ſcripta ſunt Titulis ſciri & cognoſci

poſſit,

Digitized by Google

poſſit, nihil hos inter & illos diſcriminis eſſe, cum *Cives* eſſe Eccleſiaſticos conſtet, & hoc nomine eos inſuper appellaverim.

Si quid enim diſcriminis ponendum ſit, quo hi Cives a cæteris Civibus ſepararentur, *Inæqualitatem* eorum alterius eſſe naturæ & originis neceſſe eſt, quam cæterorum Civium: ne ſi ejuſdem eſſe conditionis concedatur, & hoc etiam concedatur ſit neceſſe, à ſolis Prodiis eam provenire & procedere, eorumque voluntate & acquiri & amitti. Oſtendendum igitur eſt, alterius conditionis eam non eſſe, ut appareat, & omnem horum Civium *Inæqualitatem*, ſicuti cæterorum Civium Prodeorum tantum beneficio acquiri.

Equidem *Æqualitatem Naturalem* in eo totam conſiſtere ſuprà oſtendi, quod quis omne ſuum Jus & Poteſtatem ſuo Jure & arbitrio exerceat; Et *Inæqualitatem Civilem*, quod idem Jus & Pote-

ſtas non noſtro, ſed aliorum, nempè Prodeorum Jure & arbitrio, & nonnunquam aliorum Civium, quibus id à Prodiis privilegio datum eſt, exerceantur.

Et quidem his conjunctis *Iuris* & *Poteſtatis* nominibus ſignificatur, & re verâ cum hoc negotio ità comparatum eſt: Quod id ipſum, cujus ratione homines in Statu Narurali æquales, & inæquales in Civili dicuntur, nihil aliud ſit, quam *Poteſtas*, quam aut Jure aut Injuria exercere dicuntur. Nam *Iuris* adjectio alio non pertinet aut ne pertinere quidem poteſt, quam ut indè, an licitum illicitumve illius Poteſtatis naturalis exercitium ſivè uſus ſit, dicatur. Cum nudum Ius ſivè quod Poteſtate deſtitutum eſt, nullius vis aut momenti ſit. Si autem Poſtas accedat, vim demum acquirit & alicujus eſſe momenti incipit. Uſque adeò, ut ſolius tamèn Poteſtatis vi & beneficio æquales

à Na-

à Naturâ ſimus, & in Statu Civili inæquales efficiamur. Palam autem eſt, omnem hanc Poteſtatem Corpore exerceri, & perfici, ut proindè *Actiones* ejusmodi omnes *Corporales* ſint, quæ hujus Inæqualitiatis Iure inſtituuntur. Et hujus conditionis quidem omnes ſunt actiones Prodeorum, quæ ab illis Iure Inæqualitatis fiunt. Ut videndum ſit, an illæ etiam actiones, quæ Eccleſiaſticos cæteris Civibus inæquales conſtituunt, Corporales ſint, hoc eſt, corpore & in corpora inſtituantur? Et in ejuſmodi Corporalis Poteſtatis uſu & exercitio conſiſtant? Quod penè otioſum eſſet, multis iterum argumentis & rationibus oſtendere, cum ex præcedenti hujus Rei Tractatione poſſit intelligi, niſi jam antiqua hominum Eccleſiaſticorum *impietas* totum hoc negotium variis, falſis & ineptis diſtinctionibus ita obſcuraſſet, ut nullius ferè

rei Veritas minus, quam hujus negotii, perſpecta ſit, & cognoſci poſſit. Quam tàmen ego vel eâ ſolâ diſtinctione repetitâ, quam primo Titulo adhibui, manifeſtam & cognitam me facturum confido. Nempe ſi *Religio externa* ab *Interna* probè ſeparetur. Et illius quidem Eccleſiaſticos, non autem hujus, & multo minus utriuſque curam gerere; aut hos aut quempiam alium gerere poſſe, dicatur. Et illam quidem *ſolo Corpore*, hanc autem *ſola Anima* exerceri. Nullam hujus *curam* alterius, ſed omnem ejus ſolius eſſe, cujus ea Religio eſt. Quis enim, quæſo, jubere aut vetare poſſet quidquam cogitare alium, aut non cogitare. Has probare, & illas improbare cogitationes. Fidem habere dictis & acquieſcere ſententiæ ejus, cujus Ratio dictorum & ſententiæ auditori non conſtet; ſed ſit, cur dubitet ſi ipſi non ſatisfiat, certuſque reddatur? Cum ali-

Digitized by Google

aliter credere non poſſimus, & oratione quis ſibi adverſâ & contrariâ uteretur, qui credere ignorantem, aliter ſentientem, aut dubitantem affirmaret. Ut de hac materiâ alibi latiùs diſputabitur.

E contrario autem palam eſt, quod *Externa Religio*, cum ſolo Corpore exerceatur, ſicuti cæteræ corporum noſtrorum actiones, aliorum etiam Poteſtati ſuppoſita ſit. Juberi enim poſſumus, ut unum in locum conveniamus, docentem aliquem audiamus, capita detegamus, genua flectamus, conjunctas vel paſſas manus in cælum tendamus, Deum aliudve aliud præſcriptis verbis invocemus, & honoremus: & alias actiones noſtri Corporis infinitas, geſtuſque inſtituamus. Ut certum linguæ vociſque ſonum efferamus, & quævis alia Corpore perficiamus, quæcunque externæ ſive publicæ Religionis *Curatores* Prodii, aut *Procuratores* Eccleſiaſtici, aut fieri

juſſerint, aut etiam vetarint. Et hujus quidem naturæ & conditionis univerſa *Religio Externa* in cæteris Civibus eſt, nec huic ullâ ratione diſſimilis illa *Externa* Civium Eccleſiaſticorum, cujus ſolius ratione Cives illi, *Eccleſiaſtici* appellantur. Nam juberi poſſumus, ut eos qui unũ in locum ità convenerint, hanc vel illam ſententiam doceamus, & perſuadeamus. Quæ item actiones & geſtus Corporum noſtrorum, quæ Oratio, qui ſonus & ſic porro, Deo Opt. Max. placeant, quæque diſpliceant. Item exemplo eſſe cæteris Civibus, quemadmodum Deum Corpore coli oporteat. Quæ quidem partes ſunt præcipuæ omnis exercitii *Inæqualitatis* Eccleſiaſticorum, & ejuſdem etiam naturæ & conditionis cæteræ eorum actiones, quas illis ut Inæqualibus inſtituere licet, & cæteris Civibus, ut inter ſe adhuc æqualibus, inſtituere permiſſum

non

non eſt. Nam omnes eorum *Actiones*, ut ita dicam *Eccleſiaſticæ*, & Corpore fiunt & Corpore perficiuntur, & proinde Corporales ſunt. Undè etiam dicendum eſt, ejuſdem eas eſſe conditionis, cujus ſunt omnes cæterorum Civium actiones, quas non privato, ſed Prodeorum Jure & Arbitrio inſtituere oportet. Nam & hæ omnes *Corporales* ſunt.

Et properteà nullo pacto exiſtimare poſſum, ratione quemquam ità deſtitutum, aut ab eâ abhorrentem & alienum eſſe, ſi hæc omnia conſultò perpenderit ut dubitare aut poſſit, aut videri velit, & *Corporales* omnes Eccleſiaſticorum *actiones* eſſe, & proinde juberi & vetari poſſe, Prodeorumque Iuri & Poteſtati ſuponi & ſupoſitas eſſe. Cogitet igitur ſecum, quisquis eſt, qui aut dubitet, aut dubitare videri velit; An non ſuâ voluntate & arbitrio tam actiones haſce, vel ejuſmodi cæteras omnes

faciat,

faciat, quam eas omni ex parte moderetur, aut moderari poſſit, nolenſque nihil harum rerum faciat, aut facere poſſit? Et fatebitur, omnes illas & voluntatis & arbitrii eſſe. Cui rei itaque conſequens eſt, cum velle & nolle quid facere, actionum hujuſmodi poſſimus, & ſic, prout voluerimus aut noluerimus, eas aut faciamus aut non faciamus, juberi eas quoque & vetari poſſe, & proindè aliter, quam juſſum vetitumve eſt, nulli Eccleſiaſticorum facere licere, niſi etiam jubentibus vel vetantibus Prodiis parendum eſſe non opinetur. Quæ opinio Chriſtiano & vel bono Civi non convenit. Sed quid ego rem uſu quotidiano omnibus manifeſtam, longiori oratione docere & confirmare conabor? Et non potius oculos aliunde mentemque convertam? Ut hanc rem ipſe uſu quotidiano edoctus, aliis quoque, qui eam ita non animadverterint, aut per-

perſpexerint, exemplis tradam. Quod nunquam aut rarò contingat, ut Prodii neceſſe habeant hujuſmodi actiones Eccleſiaſticas jubere, cum beneficii vel maximi loco ubique Gentium ducatur, & habeatur, *Religionem Externam & publicam* docere licere. Ambiunt enim *Miniſterium hoc Eccleſiaſticum* non aliter, atque aliud quodvis *Miniſterium publicum*: pretio etiam nonnunquam redimunt, & donis vel aliis beneficiis benevolentiam captant eorum, à quibus eo, non dicam, onerari, ſed honorari poſſint, & ſperent. Poſtquam autem acquiſierint, hæc eadem, quæ mea omnium eatenus etiam ſententia eſt privilegio publico non privato Jure illud exerceri debere. Quamobrem etiam odio perſequuntur, traducunt, veris falſiſque injuriis onerant alitèr ſentientes; Et omnes Cives, & ſæpè vel viliſſimam Civium partem ſivè plæbem in eos concitant,

Digitized by Google

tant, ut obſiſtant. Et rurſus laudant, qui obſtiterint, & remunerationem divinam ſæpe etiam confingunt, & variis & male ſanis auditoribus prænunciant, & Dei Opt. Max. nomine, tanquam ab eo juſſi, pollicentur. Adeò, ut illud, tantum non jubere, ſed vetare Prodii conſueverint, & neceſſe habeant, ne injuſſu & ſuo Jure quis hoc *Miniſterium* arripiat; Et ne privilegio publico licet acquiſitum, ſuo quidem cum commodo & laude, ſed cum incommodo publico, & dedecore Prodeorum exerceat. Nam in vetando magis cura Prodeorum conſiſtit, ne quis injuſſu & ſinè privilegio quis *Miniſtrum* agat; quam in jubendo, ut quis hoc privilegio ſe ornari patiatur. Sed de his Rebus in alio Tractatu & *Libro Singulari*, cui *Arcana Eccleſiaſticorum* deſtinavi, prolixiori oratione diſputabo; Et quæ tamèn hoc loco quodammodo alieno leviter attingendæ vide-

Digitized by Google

videbantur, ut indè etiam conſtaret, & intelligeretur, totum *Miniſterium Eccleſiaſticum* Prodeorum Juri & Poteſtati ſubjiciendum, & nulla ratione ſubducendum eſſe.

Poſtquam itaque probaverim actiones Eccleſiaſticorum quæ Jure iſtius *Miniſterii* inſtituuntur ejuſdem planè, & non alterius naturæ & conditionis eſſe, cujus ſunt cæteræ aliorum Civium actiones, ut inde appareat, *Miniſterium* quoque *Eccleſiaſticum* ejuſdem naturæ & conditionis cum cæteris *Miniſteriis publicis* eſſe, & hanc rem uſu quotidiano omnium Gentium confirmaverim & comprobaverim. Quidnam aliud dicendum ſuper eſt, quam *omnem Inæqualitatem Eccleſiaſticorum, uti cæterorum Civium, à ſolis quoque Prodiis procedere; Neque ullum propterea illorum & horum diſcrimen conſtituendum ſive confingendum eſſe*, quo illi ab his ſeparentur, quibus

bus omninò, quoquo modo res accipiatur, conjungendi ſunt.

Tit. V.

Eccleſiaſticos variis Privilegiorum extraneorum generibus cæteris ſe Civibus præpoſitos & hac ratione inæquales eſſe, dicere conſueviſſe. Quæ Privilegiorum genera ſummatim enumrantur.

Superiorum Titulorum doctrinam nihil planè difficultatis aut ambiguitatis amplius continere exiſtimo, quatenus dicatur, & probatum ſit omnem *Inæqualitatē* hominum aut à ſe, aut ab aliis provenire, vel procedere oportere. Et quidem in ſtatu Civili ſivè Civitate à ſolis Prodiis provenire vel procedere poſſe. Verum cum Eccleſiaſtici, ut ſe Juri & Poteſtati

ſtati Prodeorum ſubtraherent, & ſibi aliquid Juris & Poteſtatis in Cives nihilominus arrogarent, (quod erat neceſſe, ne Prodeorum arbitrio ad *Æqualitatem* reduci poſſe viderentur) varia genera *Privilegiorum extraneorum*, hoc eſt, quæ aliundè, quam à Prodiis deſcendiſſe dicerentur, maximâ & horrendâ *impietate* in Prodeos confinxerunt: Et ea quidem res quamvis falſiſſima, & indigna, quæ multis argumentis & oratione longâ refutetur eo tamen pertineat, ut omnia hactenus a me dicta & probata, fruſtra dicta & probata videantur, niſi falſa eſſe inſuper & hæc res eſſe doceatur, ſequentibus Titulis id agam, ut manifeſtò intelligatur, & poſtea ab omnibus, qui tantoperè ab Eccleſiaſticis ſeducti & decepti ſunt, ut huic falſiſſimæ eorum doctrinæ conſenſerint, credatur, *Nihil planè cujuſcunque Privilegii aliunde ad Eccleſiaſticos extranei pertinere, aut*

pertinere poſſe, niſi à Prodiis id manifeſta vel tacita voluntate datum vel conceſſum acceperint.

Ut autem id commodè & aptè agam, ſummam Privilegiorum, quæ aliunde, quam à Prodiis provenire, & ad Eccleſiaſticos pertinere dicuntur, hanc eſſe conſtituam quod alia *divini*, alia *humani Iuris* ſunt.

Quæ *divini juris* eſſe dici poſſunt, ea trium eſſe generum. *Alia enim reperiri in ſacra Scriptura Veteris ac Novi Teſtamenti: Alia Ratione Naturali ſive lege Naturæ à Deo hominum inſcripta cordibus animiſque declarari. Alia denique ab ipſomet Deo extrà ordinem & præter Rationem Naturalem, legemve Naturæ hominibus patefieri.*

Hanc autem tripartitam *Privilegiorum divinorum*, ſive quæ Deum habere auctorem largitoremque dicuntur, diviſionem non modo cuivis placituram, ſed etiam cuivis adeò fore probabilém opinor, ut

ut eam porrò aliis confirmari rationibus aut argumentis non ſit neceſſarium. Nam cum non aliis aut pluribus, quam his tribus modis Dei voluntatem cuiquam unquam innotuiſſe vulgò credatur, aut cognoſci poſſe exiſtimetur, quid cauſæ eſſet, quamobrem cuivis non placeret, & probaretur? Præter quam, quod ſi totum hoc negotium diligentèr excutiatur, attentèque perpendatur, nullâ ratione videam, aut intelligam: Cur alii aut plures modi fingerentur. Quia omnes alii id genus, quicunque excogitari poſſent, ad hos tres modos commodè reduci poſſint ut facto periculo confeſtim comperietur. Adeò, ut huic rei planè ſit conſequens, nequè aliis, aut pluribus, quam his tribus modis ſingularem Dei favorem, homini hominem præficientis aut præponentis, neque alii aliisve, ut ſe Præfecto Prǽpoſitove ſubditum ſubditoſve gerat gerantve,

innoteſcere poſſe, aut manifeſtum fieri: Nam is favor vel ipſa Dei voluntas eſt, cui obſecuturi, ut par eſt, Præfecto Præpoſitove Dei vice locoq; paremus: Aut voluntas Dei favens, idque ratione Præfecti Præpoſitive, quod hunc ſolum Deus & non alium alii aliiſve præfecerit aut præpoſuerit. Et ſic res eodem revertetur, nec alii, aut plures modi invenientur.

Et hoc eſt, quod hoc Titulo præmittendum erat ut ſecurius & commodius ad ſingulas illius tripartitæ diviſionis partes, ſive ſingula hujus modi Privilegiorum genera explicanda & pertractanda progrederer.

TIT.

Digitized by Google

Tit. VI.

Nulla divini Juris Privilegia in Sacrâ Scripturâ Veteris & Novi Teſtamenti reperiri, quæ Eccleſiaſticis Jure rectèque tribuantur.

PRimi generis divina Privilegia, quæ Eccleſiaſtici ſibi ipſis, aliique ab his decepti illis attribuere, aut adſcribere conſueverunt, ea eſſe ſuperiori Titulo admonui. *quæ in Sacra Scriptura Veteris & Novi Teſtamenti reperirentur.* Verum in eâ nihil minus, quam ejuſmodi Privilegia reperiri, quæ Jure rectèque Eccleſiaſticis tribuantur, & adſcribantur, ex his ſubjectis rationibus & argumentis, quas quæque enumerabo primùm, & deinde latius explicabo, adeo puto fore intellectu facile & manifeſtum, ut de hac meâ Opinione & Sententia, ne-

mo poſt juſtam dubitandi cauſam habiturus ſit.

Ut igitur, quisquis hæc lectuтus ſis, non tui culpâ Judicii, quod abominor, hanc *divinæ Veritatis* lucem penitus nequeas intueri, te rogo atque obteſtor, ut diſcuſſâ prius omnis *præjudicii* caligine, ita ad lectionem earundem rationum & argumentorum accedas, ut liberrimo & omnis *præjudicii* vacuo animo eaſdem mecum expendas. Oportere nimirum ejusmodi divina Privilegia, quæ in ſacris Codicibus reperirentur, ut Eccleſiaſticis Jure recteque tribuantur, his *ſimul* prædita eſſe qualitatibus. *Ut ſint perpetua: Item Communia: Item Generalia: Et ejusmodi conceſſa Eccleſiaſticis, quales ſunt Eccleſiaſtici noſtri temporis: Idque tam in Prodeos ſuos, quam Cives. Denique eadem illa, & non varia eſſe oportere.*

Ajo; *Perpetua.* Nam ſi ad tempus modò quædam erant conceſſa Privi-

Privilegia: elapſo tempore, quo ſeu termino Deus Privilegium aut Privilegia definivit, ceſſarent ipſa Privilegia, quòd voluntas concedentis Dei deficiat, qui præſtituto Privilegiis tempore; eo uſque dum præſtitutum tempus elabatur; Privilegia eſſe voluit, ſed poſt illud tempus non voluit. Ut nova voluntas Privilegia concedendi, ipſaque conceſſio iterum ſit neceſſaria.

Item Communia. Nam ſi uni fortè Eccleſiaſtico, & non pluribus quædam olim fuiſſent conceſſa Privilegia: aut etiam pluribus, ſed non omnibus iſtius & ſequentis ævi, Privilegia perſonam perſonaſve non tranſgrederentur. Quemadmodum etiam non tranſgrederentur, etiamſi univerſo Eccleſiaſticorum Ordini, ſed vel in Populo Judaïco tantùm, & non etiam in Populo Chriſtiano conceſſa fuiſſent: & vice verſâ.

Item Generalia. Nam ſi propter

Digitized by Google

aliquod ſpeciale commodum, & utilitatem vel Populi Judaïci vel Chriſtiani acquirendum: vel incommodum ſpeciale præcavendum, quædam olim Deus Privilegia Ordini Eccleſiaſtico conceſſiſſet, non tempore aut perſonis, ſed ipſâ re confectâ ſive confecto negotio Privilegia definirentur, & ceſſarent. Idem eſt, ſi olim Privilegia vel rationi Reip. vel morum alterutrius Populi, hoc eſt, Judaïci vel Chriſtiani, vel alterius cujuſcunque rei fuiſſent accomodata, & propterea Ordini Eccleſiaſtico conceſſa. Nam & hæc omnia Privilegia mutationem earum rerum ſequuntur, & cum his intercidunt, nec iterum ipſo Jure debentur, etiam ſi eadem Privilegiorum ratio revertatur: quod voluntas Dei deficiat eadem Privilegia concedendi: Neque prior voluntas implicet aut deſignet novam, & multo minus per omnia eandem voluntatem.

Digitized by Google

tem. Cujus dicti Veritas vel inde manifeſta eſt, quod omnium temporum rerumque quamvis Deus omnia, quæcunque fiunt, æterno arbitrio determinavit, & in tempore variis modis & inſtrumentis conficiat, non idem ſemper ſit eventus.

Et ejuſmodi conceſſa Eccleſiaſticis, quales ſunt Eccleſiaſtici noſtri temporis. Vanum etenim eſt, & Rationi minimè conſentaneum Privilegia Veterum Ecceleſiaſticorum noſtri temporis Eccleſiaſticis tribuere, ſi illi & hi inter ſe differant, qualecunque diſcrimen ſit, quod hos quó quomodo, & eorum Privilegiorum & uſus eorum incapaces efficiat. Adeò ut omnia Ordini Eccleſiaſtico conceſſa Privilegia, ſi ſint *æterna*, ſi *communia*, ſi *generalia* etiam ad alios tamen non ſint porrigenda, quam qui ejuſdem per omnia Ordinis, id eſt, conditionis ſunt. Nam alterius conditionis homines, alterius

& Civilis ſunt Ordinis, & non ejuſdem Eccleſiaſtici. Neque rationis eſt, ab eodem nomine eadem derivari Privilegia, quod ſibi ipſis dare potuerint, vel ab aliis hominibus, illis dari poſſit, ac detur.

Idque tam in Prodeos ſuos, quam Cives. Hæc clauſula non temerè, aut ſine cauſâ adjecta eſt. Multum enim intereſt, utrum etiam ſpeciatim in Prodeos & Cives illa Privilegia ab ipſo Deo ſint conceſſa, quæ Eccleſiaſtici ſibi tribuunt. Nam cæteris illa prædita eſſe & munita qualitatibus, quas ſuprà Enumeravi, non tantum illis tribuit auctoritatis, ut omninò Eccleſiaſticis parendum ſit, ſi hæc una qualitas deſiciat. Et plus momenti hæc una ſeparatim affert cæteris, quam cæteræ conjunctim huic uni afferunt. Ubique enim Terrarum & Gentium ſunt Prodii & Cives, qui animos Prodeorum dictis & arbitrio parentes gerunt.

Digitized by Google

gerunt. Et ipſe Deus hanc legem indidit omnium animis, & hanc rationem vivendi in omnibus poſuit, ut Prodiis pareant, illiſque parendo ſibi ipſi parere, qui per Prodeos in omni Civitate Cives regit. Et Sacra conſentit & jubet Scriptura, ut minus hanc Veritatem divinam negare Eccleſiaſticis conveniret. Et ſi parendum ſit, quinam omninò non, aut aliquando non parendum eſſe, aut quatenus parendum ſit, diſcernent? Eccleſiaſtici ne? Qui & ipſi Cives ſunt, & proinde Prodiis ipſi obedientiam debent. Adeò, ut pars muneris ſivè Miniſterii Eccleſiaſtici vel maxima & potiſſima ſit, hanc obedientiam Cives docere: Illiſque conveniat Prodiis parendo, cæteris Civibus exemplo eſſe. An verò unuſquiſque Civis pro ſe, quando parendum, aut non parendum, aut quatenus parendum ſit, diſcernet? Quod utique Rationi magis conſentaneum eſt, quam

quam quod Eccleſiaſtici Cives pro cæteris Civibus diſcernerent. Et à Ratione quam maximè abhorrens, quod cæteri Cives Eccleſiaſticorum arbitrio & judicio vitam Civilem inſtituerent: illiſque juſſa Prodeorum diſſuadentibus parerent. Et mihi quidem eò redire omnis hæc controverſia videtur, & hac diſtinctione poſſe determinari. *Statum Naturalem*, quantum mores & omnis vitæ inſtitutum attineat, in eo conſiſtere, quod Deo Opt. Max. per Rationem imperanti obſequamur: & *Statum Civilem*, ut eidem Deo per Prodeorum Rationem, hoc eſt, per Prodeos imperanti pareamus. Ut neutiquam Ratio Naturalis inter Deum hominesque non intercedat, aut vivendi regulas non præſcribat. Quamobrem ità ſentio; Si Ratio Civis privata à publicâ Prodeorum diſſentiat, parendum ſemper Rationi Prodeorum eſſe, qui ob hoc ipſum, hoc

eſt,

eſt, ob Naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem, in omni Civitate ſunt conſtituti, ut eorum Ratio quaſi omnium Civium eſſet, & in eorum ſententiam omnes Cives conveniendo, omnium Rationes conſentirent. & in hâc re omne obſequium Prodiis debitum conſiſtit. Si tamen quandoque eveniat, ut Ratio privata adeò à publicâ diſſentiat, & differat, ut publicæ Rationi parendo Deo non parere privata quemquam dictet: Cui utique Deo Opt. Max. & quidem ſemper parendum eſt, & parere nos exiſtimare debemus, aut non aliter Prodiis parere, quoties illis pareamus: Is utique Civis obedientiam denegando, *Civilem ſtatum* re ipſa & hoc facto eatenus relinquit, & ad *Naturalem* revertitur: Et proinde rectè, & divinæ Rationi convenienter facit, quod Rationi ſuæ hoc eſt, Deo magis, quam publicæ, hoc eſt, Prodeorum obſequa-

Digitized by Google

quatur. Quos utique pro hominibus ſibi æqualibus, & neutiquam ſibi præpoſitis, hoc eſt, pro Prodiis habet, quoties & quatenus illis obedientiam denegat. Et ſic omnia omnino ceſſant quoque Privilegia Eccleſiaſticorum, cum ſuæ ipſius Rationi, & non aliorum, hoc eſt, Eccleſiaſticorum, parere quiſque, Deo ipſo per Rationem ita jubente, habeat neceſſe. Quamobrem etiam illa hîc locum habebunt, quæ de *auctoritate Docentium in Statu Naturali*, Titulo primo expoſui. Apparet igitur ex his omnibus, quæ ad hunc paragraphum dicta ſunt, quæ & quanta ſit vis hujus unius qualitatis Privilegiorum Eccleſiaſticorum, & quàm omnia ſint infirma, ſi hæc una qualitas cæteris qualitatibus non accedat.

Denique eadem illa & non varia eſſe oportere. Hæc ultima qualitas quàm neceſſario cæteris quoque qualitatibus Privilegiorum accedat,

Digitized by Google

dat, & quantum cæteris decedat, ſi vel hæc ſola abſit, operæ pretium non puto multis demonſtrare. Neceſſitas enim ipſa ſe oſtendit. Et ſi quis animum propius cæteras qualitates advertat, is ſentiet & dicet hanc cæteris ineſſe, vel ſubaudiri. Placuit tamen, ne quid, quo conditiones horum Privilegiorum magis elucerent, de eſſet, hujus qualitatis ultimæ vim paucis demonſtrare. Quæ in eo conſiſtit, quodnon ſatis firmitatis, auctoritatis ac virium hæc Privilegia Eccleſiaſticorum, cæteris licet omnibus ſint qualitatibus munita, habitura ſint, ſi diſtinctione hujus qualitatis ultimæ poſſint infirmari.

Nam quod fortè ſint *Perpetua*: Quod *Communia*: Quod *Generalia*: Et *ejuſmodi conceſſa Eccleſiaſticis, quales ſunt Eccleſiaſtici noſtri temporis*; *Idque tam in Prodeos ſuos, quam in Cives*: hæ omnes qualitates ejuſmodi tantum Privilegiis ſimul con-

conveniunt, quæ ſunt *Eadem* ideſt, iiſdem Privilegiis, quæ his omnibus qualitatibus ſimul ſunt munita, & non aliis atque aliis, ſive variis variantibuſque Privilegiis. Nam ut his omnibus qualitatibus illa Privilegia ſimul eſſe munita & inſtructa oporteat, ut Eccleſiaſticos ab omni obedientiâ Prodiis debitâ liberos atque ſolutos, ut & ab omni denegatæ obedientiæ culpâ atque pœnâ, præſtent: ita non erunt admodum, & multo minus ab omni parte liberi ſolutique, ſi hæc non *Eadem* per omnia ſint Privilegia, quæ illis omnibus qualitatibus ſimul munita & inſtructa ſint. Nam ſi Prodeorum & Civium, cæterorumque hominum extrà Civitatem ſivè in Naturali ſtatu viventium Deus multa Privilegia *Perpetua*, *Communia Generalia*, & *ejuſmodi Eccleſiaſticis*, *quales ſunt Eccleſiaſtici noſtri temporis*. *Idque tam in Prodeos*, *quam in Cives* (addo, & in cæteros homi-

homines in Statu Naturali viventes) conceſſiſſet, non eluderet quis vim horum Privilegiorum, ſed rectè & jure obſequium Eccleſiaſticis denegaret; ſi modo rectè non *Eadem* ea eſſe Privilegia contendat, quibus illas omnes qualitates, ut vim habere juſtam neceſſariamque curent, Eccleſiaſtici adſcribere & tribuere ſolent, & illis omninò convenire ajunt. Imò nequaquam impius in Deum Opt. Max. exiſtimandus eſt, & proindè ſine juſta cauſa Eccleſiaſticis obedientiam denegare, qui eo uſque eam illis denegandam arbitraretur, & re vera denegaret, dum Eccleſiaſtica *Eadem* illa eſſe Privilegia, quibus cæteræ illæ qualitates ſimul convenire prætendant, tàm manifeſtè probaverint, ut dubitandi nullam amplius, ac proinde nec obedientiam denegandi quidem cauſam ſe habere ſentiat, à quo obedientia Jure Privilegii alicujus Eccleſiaſtici Exigitur,

gitur, & poſtulatur. Nam juſtam dubitandi cauſam unuſquiſque ſempèr habet, à quo homo alius quidquam non ſuo Jure (quæ res non longam aut difficilem Veritatis cognitionem poſtulat; cum Jure Naturali cuivis manifeſto, vel Jure Civili definiatur) ſed alieno & quidem divino deſiderat. Et quidem, quod omnium rerum eſt factu difficillimum, ut ſuâ ipſius Ratione neglecta, quam ſolam vivendi regulam omnium animis Deus Opt. Max. indidit, alterius hominis aliorumve hominum Dictis eandem fidem accomodet, ac ſi ſua hoc ipſi Ratio dictaviſſet, quæ nunc tamen fidem Dictis accomodari negat. Et quam fidem ob id tamen ſolum quis eſſet accommodaturus, quià Deus Opt. Max. eam fortè accommodari velit. Quoties igitur quis dubitat, & *Iure* denegat, quod poſtulatur: quoniam, quantum ad dubitantem attinet, idem eſt, ac

Digitized by Google

ac ſi indebitum & injuſtum ab eo poſtularetur: quod ſi præſtare recuſet, nulla ratione debitum negare, aut injuſtus eſſe dicendus eſt. Sed Rationi ſuæ, quam à Deo Opt. Max. ducem hujus vitæ accepit, convenienter ſe inſtituere & proinde ipſi Deo Opt. Max. obedientem eſſe.

Et ſic hactenus *ſex* illis *qualitatibus* explicatis, quæ Eccleſiaſticorum Privilegiis adeò ſumul ſunt neceſſariæ, ut nequaquam Privilegiorum Jure ſint cenſenda, ſi vel una ex illis ſex qualitatibus, & multo minus ſi plures, aut etiam omnes abeſſent. Ut tandem etiam ex ratione earum appareat, & luce merdiana clarius eluceſcat; *Nulla divini Iuris Privilegia in Sacrâ Scripturâ Veteris & Novi Teſtamenti reperiri, quæ Eccleſiaſticis Iure rectèque tribuantur*: Quod argumentum eſt hujus Tituli, & ſub eo probandum ſuſcepi: rectæ Rationis dictamini minus conve-

Digitized by Google

nientèr me facturum exiſtimo, ſi porrò aliàm probandi viam incederem, quam Eccleſiaſticos id quod multis & ſupervacuis rationibus & argumentis probandum eſſet, interrogando. Nam alioquin multa repetenda forent, quæ jam ſuperius in explicatione & interpretatione ſingularum Qualitatum dicta ſunt, aut, quòd perquam ſint manifeſta, ſingularem tractationem minimè poſtulant. Deinde nullo Jure nullaque ratione Exigi ab eo aliæ confirmationes, comprobationeſque poterunt, qui factum neget: & propterea, etiam multo minus ejuſmodi quid exigendum eſt, ſi non ſine cauſa, & proinde juſtè & bona fide ſe negare factum quid eſſe oſtenderit, uti me puto jam oſtendiſſe.

Accedit, quod alioquin etiam omnium & ſingulorum Privilegiorum, quæ Eccleſiaſtici ſibi tribui volunt, rationes & argumenta,

ta, & earum eorumque rurſus confirmationes omnes & ſingulas comprobare haberem neceſſe, ut tractandi rationi ſatisfiat; Quæ res ſingulare, & quidem ingens Opus poſtularet: ſi non Satyram potius, cum omnia Eccleſiaſticorum rationes & argumenta tantopere à rectæ Rationis ductu aberrent & recedant: niſi hæc res à ſerio & pio hujus Operis inſtituto abhorreret. Denique ipſos Eccleſiaſticos in hâc re ſummà & quidem ſuâ cauſâ Judices facturus ſum, quo melior illis conditio afferri, & æquior à me deſiderari non poteſt. Quæſò igitur, ubi nam in univerſa Sacra Veteris aut Novi Codicis Scripturâ Privilegia ejuſmodi, aut vel unum ejuſmodi ex illis omnibus, quæ & ipſi ſibi tribuunt, & ab aliis ſibi tribui volunt, reperiatur, quod ſex illis *qualitatibus* ſimul ſit munitum, quæ conjunctæ tamèn vim debitam & neceſſariam illis ſolùm conferant. Et è

contrario, an non ab omnibus & ſingulis omnes illæ ſex qualitates ſimul abſint? Omnia, quæſo, & ſingula ſua Privilegia, & omnia & ſingula, rationum & argumentorum momenta, quibus, ſeu fundamentis ea inniti, quibusque confirmari ea liquidò, aut alio quocunque modo poſſe arbitrentur, diligenter & præſenti animo, qui omni Præjudicii impedimento vacat, expendant, ſi fortè nundum expenderint. Res enim non ipſorum ſolum, ſed & omnium aliorum hominum, & ipſius Dei Opt. Max. agitur. Et vel per ſe digniſſima eſt, ut vel ſola, cæteris intermiſſis ad aliquod tempus negotiis, expendatur. Præterquam, quod non ſolum & eum peccare mecum ſentient, qui ſciens falſò ſed etiam eum, qui dubitans, & qui incertus divini Juris ſibi debiti, aut Privilegii quicquam vel minimum, etiam minimam particulam certò arrogaverit, tribuerit,

Digitized by Google

rit, adſcripſerit. Et dubitandi cauſam non unam, ſed multas, & ex quibus, ſi certi fieri velint, ut oportet, etiam plures confici poſſunt, ſuppeditaſſe aut ſuggeſſiſſe me confido. Ego quidem certus ſum, & ex quo hanc materiam diligentiùs expendere cepero, in dies certior factus ſum, neminem ex Eccleſiaſticis eſſe, ſi ità expenderit, quin mihi conſentiat: neminemque ſi poſt hac ità omnia expenderit, quin mihi ſit conſenſurus. Sed vereor, ne hæc mea ſententia in triplex genus hominum Eccleſiaſticorum incurrat & incidat. Et *eorum*, qui metu Veritatis Privilegia, quæ dicuntur Eccleſiaſtica ſivè Eccleſiaſticis deberi, & eorum rationes & argumenta, rationumque & argumentorum momenta ſingula non expenderint. Et *aliorum*, qui veteris præjudicii vitio & culpâ, quamvis expenderint, veritatem tamèn nequient intueri: Et denique *eorum*,

qui poſtquam expenderint, & divinam Veritatem cognitam & perſpectam, habuerint, animi ſuperbientis vitio veritatem diſſimulabunt. Et qui propterea omnes in hoc convenient, & vocibus ſcriptiſque conſentient: Quod aut omnia, aut ſaltem plæraque, quæ vulgò Eccleſiaſtici ſibi tribuere & adſcribere, conſueverint, Privilegia, Eccleſiaſticis re vera, & ex voluntate Dei in Sacris patefactâ Codicibus debeantur. Sed culpâ fieri malevolorum hominum, qui Naturali vitio & peſſimæ vitæ conſuetudine ſunt corrupti, quod divina illa Eccleſiaſticorum, Privilegia non agnoſcantur. Et eandem ob cauſam Prodeos eadem non agnoſcere Privilegia, & pati nolle, ut in ſe ipſos aut Cives ſuos exerceantur cum maximè ipſorum ambitionis interſit, in nullâ re duces & monitores, & multo minus magiſtros & præceptores agnoſcere, & obſer-

ſervare. Quibus hominibus ineptis aut malevolis, ut etiam eodem opere & negotio ante ſatisfiat, quam ad alia pertractanda tranſgrediar, ſi ſibi fortè ſatisfieri velint: ut nihilo minus appareat, non hujus Veritatis aut meâ, ſed ſui culpâ, ipſis non ſatisfieri, non nullas rationes & argumenta ſupradictis breviter adjiciam. Nego itaque culpâ fieri aut malevolentiâ hominum, tàm aliorum quàm Civium, nec prætereà ambitione Prodeorum, quod hujusmodi divini Juris Privilegia, ſive quæ in Sacris Codicibus reperirentur, Eccleſiaſticis data & conceſſa negent. Et veriſſimum eſſe contendam, aliâ de cauſa non agnoſci, quam quià in Sacris Codicibus ipſi agnoſcere, animadvertere ſive reperire ejuſmodi Privilegia non poſſint. Et quia ſibi ab Eccleſiaſticis, in illis Codicibus agnita, animadverſa ſive reperta non demonſtrentur. Nam recta

Ratio non patitur, qui Deum Opt. Max. omnia potentem & ſcientem credant: ut eum ob infinitam *Potentiam* non metuerent, & ob infinitam *Scientiam* fallere poſſe confiderent. Noverunt enim ſe viribus multo inferiores eſſe, quam ut ei reſiſterent: & ſcientiâ, ut eum fallerent. Et eadem Ratione docentur, expedire, quod propitium & non iratum ſibi habent eum, cujus voluntati, ſua ipſorum voluntate poſt poſita, ob infinitam illam potentiam parere habeant neceſſe: Et qui certò ſcire poteſt, utrum ſuæ voluntati per omnia paruerint: Imò qui internas animæ cogitationes cognoſcit & proſpicit, ante quam ita cogitent, & perſpicit, cum ita cogitent. Cui nihil omninò magni, nihil parvi, etiam minimi momenti, quod Anima in homine cogitabit, quodque poſteà cogitabitur: & quod ex Animæ cognitantis & volentis arbitrio Corpus

Digitized by Google

pus deindè efficit: ſive quæ Corporis motu Naturali fiunt; & ut omnia uno verbo complectar, quæcunque & quocunque modo ab Animabus & à Corporibus hominum proveniunt, & provenire poſſunt, tectum, ocultum vel ignotum aut tegi vel occultari poteſt, aut Ipſius omnia cognoſcentis conſpectui ſubduci quo minus ſciat & proſpiciat. Hunc neceſſario, ſi χαθὰ ἀνθρωπὸν loqui liceat, (quod utique ab omnibus hominibus faciendum eſt, donec aliam Rationem ille idem Deus Opt. Max. Animabus noſtris indiderit, & ſic aliter ab eo eruditi ſimus, & ab hominibus etiam ſit, ſcriptura ſacrorum Codicium ità præeunte, & χαθὰ ἀνθρωπὸν loquente, quam ducem in rebus divinis ſequimur) odio habere, & proinde illis obeſſe, qui ſuam ipſorum voluntatem ipſius voluntati præpoſuerint; & benè velle, & proindè illis prodeſſe, quicunque ſuam ipſo-

rum

rum voluntatem ipſius voluntati poſtpoſuerint, & huic per omnia paruerint. Cui rei itaque conſequens eſt, Veritatem eorum, quæ homines inepti aut malevoli fortè prætendent, non modo longiſſimè à ſanâ Ratione recedere, verum etiam ab ea planè abhorrere: cum ei per omnia adverſentur: Quando quidem ipſius rei Natura, ut ejuſmodi res eveniant, & contingant, nullo modo patiatur. Cum omnes & Deum Opt. Max. eſſe, & iſt hæc omnia de eodem Deo indubitatò credant. Sed videor mihi exaudire hanc quotidianam vocem calumniantium, aut ineptorum hominum Eccleſiaſticorum: *Magnam, ſi non maximam partem hominum, tam aliorum, quam Prodeorum, Deum eſſe, & iſthæc omnia de eo indubitatò non credere*: & rurſus aliam vocem ejuſmodi hominum Eccleſiaſticorum, qui ſuperioribus in accuſando mitiores ſunt, aut videri volunt, dicentium;

tium; *Quamvis magna, non tamèn maxima pars hominum, tam aliorum, quam Prodeorum, Deum eſſe, & iſthæc omnia de eo fortè credant, tamen ſibi ipſis & data illa Privilegia negando, & impediendo quo minus illis utantur & Deum eſſe, & iſthæc omnia de eo credere non videri.* Sed ad utramque vocem hæc reſponſa habento. Et primum iſti priores. Injuſtam & ineptam eſſe accuſationem eorum, quod ejus Dei juſſis & imperio non pareant, quem non eſſe certò credunt. Qui enim recta Ratione duce fieri poteſt, ut nullius juſſis & imperio, hoc eſt, nulli, ſivè nemini jubenti ſivè imperanti parerent? Et quod proinde parendo Eccleſiaſtici in ſe ſe alterius, qui non eſt, obtentu & nomine, ſibi ipſis jam demum Juris aliquid, quod anteà non habuerunt, adipiſci viderentur. Et quibus propterea uſum Privilegiorum impediendo, & illis data eſſe negando, oſtendunt illis

illis ſe ſe nolle ſubjicere, illoſque in ſe quaſi Prodeos rerum ſacrarum, quæ antiquâ & prava conſuetudine cæteras res humanas trahere ſolent, conſtituere. Et quidem hoc iſti poſteriores: Inepta & falſa ratione indè colligi, propterea illos videri & Deum eſſe & iſthæc omnia de eo non credere, quià ejuſmodi Privilegia Eccleſiaſticis data negent, & ob id uſum eorum impediant: Niſi etiam ſimul & hoc verum eſſe probetur, utrumque contra animi ſui ſen-tentiam facere. Nam ſi ex ea faciant, Rationi convenienter ea faciunt, quo nihil amplius à quoquam Jure deſiderari poteſt. Cum unum quemque ſuæ Rationi convenienter vivendo ipſi Deo recte ſervire, dicendum eſt, & optimo modo in omnibus parere. Quod dici de illis Jure recteq; non poſſet, ſi ſua ipſorum Ratione poſt poſita incerti, & proindè dubitantes (ut certis eſſe

eſſe non licet in rebus ſolâ Ratione cognoſcendis, niſi noſtra id nos Ratio doceat, ut alibi pluribus oſtenditur) aliorum, id eſt, Eccleſiaſticorum Rationem præponerent & per omnia ſequerentur. Cum hoc pacto hominibus magis, id eſt, Eccleſiaſticis, quam Deo per Rationem contrarium jubenti; aut credere non permittenti, auſcultarent & obedirent. Ut hinc palam & per omnia manifeſtum ſit, omninò rectè facere eos, & qui Deum eſſe verè non credunt (ſi modo unus è millibus homo ejuſmodi, Ratione tamèn ſana præditus fortè reperiatur) & qui Deum eſſe verè credunt; Et quidem illos, niſi & Deus eſſe, & deinde ejuſmodi voluntas certò probetur; hos autem, niſi de ejuſmodi voluntate Dei ipſis ſatis certòque conſtiterit. Et prætereà otioſum puto, hoc loco etiam commonuiſſe, ex iiſdem rationibus & argumentis ſub hoc Titu-

Titulo ad ductis & explicatis, palam & manifeſtum eſſe, maximè, ſi his illa conjungantur, quæ prolixiori oratione Tit. I. II. III. & IIII. de Jure & Poteſtate unius cujuſque in ſe ipſum in *Statu Naturali*, & Prodeorum in omnes & ſingulos Cives in *Statu Civili* proſecutus ſum, ut denuo evincam, *Eccleſiaſticos homines etiam in rebus ad Deum, & ejus cultum pertinentibus, nihil prærogativæ habere in homines in Statu Naturali conſtitutos: Et in Statu Civili unà cum cæteris Civibus Iuri & Poteſtati publicæ ſivè Prodeorum ſuppoſitos eſſe*; diſtinctione tamèn ſempèr ſervatâ Religionis internæ & externæ, ſecundum ea, quæ ſub iiſdem Titulis non uno in loco, diſputavi & explicavi.

Digitized by Google

Tit. VII.

Nulla etiam divini Juris Privilegia Ratione naturali, ſivè lege Naturæ à Deo hominum inditâ Cordibus Animiſque declarari, quæ Eccleſiaſticis Jure rectèque tribuantur.

SEquitur, ut ſub hoc Titulo oſtendam; *Nulla etiam divini Iuris Privilegia Ratione Naturali, quæ ut lex Naturæ à Deo hominum indita eſt cordibus animiſque declarari, quæ Eccleſiaſticis Iure rectèque tribuantur*. Quæ quidem quæſtio videri poſſet ſupervacuo labore ſpeciatim denuò tractari cum ea ſuprà ſub Titulo II. III. & IV. ſatis ſupèrque tractata & explicata ſit. Quòd quidem ex parte verum eſt, quatenus ſub iiſdem Titulis hujus Quæſtionis quidem fundamenta ſunt poſita; Et qui-

bus propterea nihil novi apponam, quod meam me tum ſententiam ſatis ſuperque explicaſſe & comprobaſſe exiſtimem, verum cum ea, quæ ibi dicta ſunt, non eo per omnia ſenſu, dicuntur, quo hæc Quæſtio ſub hoc Titulo diſputabitur, iiſdem quidem rationibus & argumentis ad aliquid utendum, & nonnihil tamen antè dictis adjiciendum erit. Notandum itaque eſt, de eo genere hominum me diſputationem inſtituiſſe, qui non in ſui ipſorum Poteſtate ſuique Juris ſunt conſtituti, ſed aliorum, id eſt, Prodeorum Juri & Poteſtati ſunt ſuppoſiti. Uſque adeò, ſi ulla illis Privilegia deberentur, ea ejuſmodi eſſe oportere, ut illis etiam in Statu Naturali in alios homines deberentur, vel jam in Statu Civili in cæteros Cives debeantur. Et proindè, ſi verum eſt, ut verum eſſe jam ſuprà oſtendi, quod in Statu Naturali (in quo ſolâ Ratione ſuâ ipſius

ipſius duce unus quiſque utitur, & uti debet) omnes homines *æquales* ſint, id eſt, nihil omninò Juris aut Poteſtatis, & propterea multò minus quidquam privi Juris ſive Privilegii in alios habeant, aut habere poſſint, præterquam in ſe ſolos: quia ſibi ipſi, id quicquid haberent aut adipiſcerentur Juris, Poteſtatis aut Privilegii in Æquales propter Æqualitatem dare non poſſunt; Nequè ab Extraneo adipiſci, cum in hac vitâ nemo exiſtat, qui hoc illis daret. Nam & is utique homo eſſe deberet, qui cum & ipſe æqualis cæteris eſſet, propterea eodem Æqualitatis Jure prohiberetur. Conſequens eſt, in ſtatu Naturali nulla omninò Privilegia Naturali Jure illis deberi, aut competere poſſe. Et deindè, ſi etiam verum eſt, ut ſuprà quoque verum eſſe oſtendi, quod in ſtatu Civili, qualitate communi depoſitâ, omnes Cives, & qui Civitatem ab initio conſti-

tuerunt, & qui ab his progeniti ſunt, quique jam conſtitutæ Civitati, ut extranei, accedunt, omne omninò Jus & Poteſtatem, quod quamq; in ſe quiſque à Naturâ, id eſt, à Deo Opt. Max. accepit, in Prodeos tranſtulerint, aut communi omnium Civitatum *lege* fundamentali intelligantur tranſtuliſſe. Adeo, ut nullum Civitati utile & neceſſarium Jus & Poteſtatem retinuerint, & multo minus, in alios ejuſdem jam conſtitutæ Civitatis Cives acquiſierint. Et quod omne omninò Jus & Poteſtatem, ſi quod quamque in alios Cives habituri ſint, à Prodiis qui utrumque habent, accipere debeant: ſecundum ea, quæ cum de cæteris Civibus, tum ſpeciatim de Eccleſiaſticis Civibus agebam, qui in eo a cæteris Civibus nullo modo differunt, ſub ſpeciali Titulo oſtendi. Conſequens etiam eſt, neque in ſtatu Civili ulla omninò Privilegia Naturali aut Civili

Digitized by Google

vili Jure illis deberi, aut competere poſſe. Quamobrem iis quæ ſub præcedentibus Titulis dicta & comprobata ſunt, ſummatim ita repetitis & ſententiæ meæ apertius declarandæ cauſâ nonnullis additis, ità concludi res tota videtur poſſe. Quando quidem in alio Statu, quam aut Naturali, aut Civili Eccleſiaſtici homines conſiderari non poſſint, quod alius qui in tertio genere eſſet, Status neque ſit neque animo comprehendi poſſit: & in utroque Statu nulla omninò Privilegia Jure quopiam illis debeantur, aut competere poſſint: *Nulla ob id Eccleſiaſticis his hominibus Privilegia ullo modo & ratione deberi, aut competere poſſe niſi & quæ ſingulos à ſingulis in ſtatu Naturali, & in ſtatu Civili à Prodiis in ipſos & in cæteros Cives accipiant acceperintve: Et proindè, quæ non Iure recteque ſecùndum Rationem Naturalem ſive legem Naturæ à Deo hominum Cor-*

dibus animiſque inditam & inſculptam, illis ipſis tribuerentur. Et hæc quidem fortaſſis, ut ſcripta & comprobata ſunt, Eccleſiaſticis ſuffecerint, aut non ità oppugnabunt, aut præතereà hanc meam, quam ſub hoc Titulo defendi ſententiam non ab omni parte veram eſſe ex eo probare conabuntur: quod etiam ſi concedatur, quòd Eccleſiaſticis nulla divini Juris Privilegia Ratione Naturali debeantur, propterea quòd in ſtatu Naturali à ſingulis hominibus in homines ſingulos; Et in Civili ſtatu à Prodiis in ſe & in Cives, provenire deberent: non eſſe tamen per omnia ſive ab omni parte ipſa hæc Privilegia Juris humani. Evenire etenim, & fieri poſſe, & reverâ Evenire & quotidie fieri, ut nonnullas partes, quas ipſa Ratio Naturalis huic *Miniſterio* maximè neceſſarias eſſe doceat, & ſine quibus uſu quotidiano Eccleſiaſtici erudiuntur,

tur, hoc *Miniſterium* à ſe procurari non poſſe, à Prodiis denegentur. Ut dicendum ſit, Rationem Naturalem in voluntate Prodeorum ſupplere, quæ partes neceſſariæ huic *Miniſterio* deſint. Sed hoc argumentum facili negotio ſubverti poteſt, & vel indignum longâ refutatione exiſtimabitur, ſi ea, quæ ex eo inepta & abſurda ſequuntur, breviter collecta enarravero, & Lectoribus antè oculos poſuero.

Quid enim hominum animis ineptius, & quid auribus abſurdius cogitari aut dici poteſt, quam quod illud argumentum contineat, quovè pertineat. Ut nimirum hoc ſit Jus Prodeorum, & in eorum ſolum Poteſtate poſitum, ut *Miniſterium* hoc publicum conſtituant, & non conſticuant, ſed ſi conſtituant, in conſtituendo his ipſis non licere, eum modum ponere, & eos fines dare huic *Miniſterio*, quem, quoſque velint:

lint: hoc eſt, majus minuſve Jus & Poteſtatem tribuere illis Civibus, quos aliis, ut hoc *Miniſterium* ipſorum loco procurent, præficiunt, ſed infinitum Jus & Poteſtatem tributum eſſe intelligi. Quaſi *Miniſterium* hoc *Eccleſiaſticum* à cæteris *Miniſteriis publicis* in hoc differat, quòd quidem, & tantum nudo nomine, ſed reverâ *Miniſterium* non ſit. Hoc eſt, Jus & Poteſtas, quidvis pro arbitrio voluntatis faciendi, (quod tamen Prodeorum tantum eſt) ſed non aliquid certi, idque certo modo, tempore loco, & ſic deinceps, faciendi. Quæ omnia & omnibus *Miniſteriis* conveniunt, & ut neceſſariæ ſolum partes omnia *Miniſteria* conſtituunt. Unde ſi qui *Miniſtri* ſecundum hujuſmodi *leges* Juris & Poteſtatis ſibi & *Miniſteriis* ſuis à Prodiis conceſſas & datas, *Miniſteria* procuraverint, ea rectè procuraſſe, & in procurando bononim Civium officio functi dicun-

dicuntur. Et ſi contrà hujusmodi *leges*, vel præter eas quid fecerint, non Prodeorum loco *Miniſteria* procuraſſe, ſed debitam Prodiis fidem & obedientiam non præſtitiſſe, ſe ſe aliis Civibus ſuo & proprio, hoc eſt, nullo Jure præficiendo. Quod Civium non eſt, & *Miniſterium publicum* Prodeorum loco, Jure & juſſu procurantium, ſed ſalutis & quietis publicæ hoſtium & inimicorum.

Deinde hoc argumento & illud continetur: Prodeorum non eſſe de omnibus rebus liberum & ſummum arbitrandi & conſtituendi Jus & Poteſtatem, ſed in nonnullis rebus, & quidem, quarum etiam ipſi auctores ſoli ſunt, arbitrandi & conſtituendi Jus & Poteſtatem Civibus in Statu Civili relictum eſſe, & deberi. Nam alioquin Eccleſiaſticis Civibus etiam non liceret eas eſſe huic *Miniſterio* neceſſarias partes arbitrari: ſi non neceſſarias Prodii eas

arbitrati ſint, & poſteà quoque arbitrentur: & proindè nunquam adjungant & ſuppleant.

Poſtremò, vel ab omni veritatis ſpecie abhorret: Poſſe *Miniſterium* aliquod à Prodiis conſtitui, & Jure *Miniſterii* cenſeri, cui conſtituto unà vel plures poſteà partes deſint, ſine quâ quibuſve illud procurari non poſſet: hoc eſt, *Miniſterium* eſſe, & ſimul non eſſe. Quod ut melius intelligatur, & nonnihil novi prædictis adjiciatur, ità diſtinguendum videtur. Fieri quidem poſſe, ut *Miniſterio* alicui publico aliquid, tanquam pars ejus & quidem ei neceſſaria deſit, ut illud vel hoc vel illo modo, tempore, loco, & ſic deinceps, procuretur. Sed propterea non eſt ea pars omninò, & generalitèr neceſſaria: Quoniam hoc caſu tantum, ſi Prodii Jus & Poteſtatem Eccleſiaſticis tributum non augeant, & ſupplementum non addant, indicio eſt, nolle

Pro-

Prodeos, ut Eccleſiaſtici eam rem obtineant, quæ hoc *Miniſterium* hoc vel illo modo, tempore, loco, & ſic deinceps, procurando obtineri poſſet. Sed nihilominus idem, & tale manet *Miniſterium*, quale ab initio conſtitutum eſt, & præſtituto modo, loco, tempore, & ſic deinceps, procurari poteſt. Quemadmodum eâdem ratione indicio eſſet, nolle Prodeos *Miniſterium* eâ cum utilitate Civium amplius procurari, quâ fortè procurari poſſet, ſi utilem fortè illi partem ſcientes negarent: aut ſi ſcientes mutari *Miniſterii* conditionem nollent, quamvis priſtinis legibus *Miniſterio* datis, & mutatione lapſuque temporum & morum jam non ità utilibus, atque illæ jam olim fuerunt, *Miniſterium* etiam non ita utiliter procuraretur. Quanquam harum rerum nihil ad Civium agnitionem aut arbitrium pertineat. Adeò, ut & Prodiis ſemper, & ab omni parte inte-

integrum & ſalvum Jus & Poteſtas ſervari & manere debeat; Et hinc etiam Eccleſiaſtici Prodeos hujuſmodi omnium Privilegiorum auctores agnoſcant.

Tit. VIII.

Nulla etiam divini Juris Privilegia Eccleſiaſticis hominibus ex Voluntate Dei extra ordinem & pratèr Rationem naturalem Patefactâ deberi, quæ illis Jure rectèque tribuantur.

SUper eſt, ut poſt duo ſuperiora divinorum Privilegiorum genera explicata & pertractata, etiam hoc, quod tertium & ultimum genus divinorum Privilegiorum eſſe dixi, pertractem. Nimirum, *An ulla divini Iuris Privilegia Eccleſiaſticis hominibus ex voluntate Dei fortè extrà ordinem, & pratèr Rationem Naturalem pate-*

Digitized by Google

patefactâ debeantur, quæ illis Iure rectèque tribuantur. Quod ut Explicatius agam, illud præmittendum eſt, non de illis me divinæ Voluntatis Patefactionibus verba facturum, de quibus aut mentiones in ſacris Codicibus fiunt, aut integri libri in iiſdem conſcripti reperiuntur. Si quidem de illis locus diſputandi fuerit ſub Tit. VII. cum de primo genere Divinorum Privilegiorum agerem. Sed de ejuſmodi divinis divinæ Voluntatis Patefactionibus, quæ noſtris nonnunquam temporibus, ſingulis hominibus contingere dicuntur. Quas ut poſſe contingere non negem (poſſe enim Deum omnia & quidvis illi facere licere, manifeſtum eſt) ſed doceam, quemadmodum factas oporteat, ut ulla ex iis ſive ob eas Eccleſiaſticis Privilegia debeantur, & Jure rectèque tribuantur, illas ità definiendas cenſeo. *Ut ſint Patefactiones à Deo quibuſdam hominibus extrà ordinem*

dinem & pratèr Rationem Naturalem factæ, & inſuper jubente, ut eas aliis hominibus annuntient. Et quidem operæ prætium non eſt, ut multis explicem, quid nam his verbis: *extra ordinem* & *præter Rationem Naturalem*, intellectum velim. Cum ex iis, quæ prolixiori oratione ſuperius non uno in loco diſputata ſunt, ſatis ſuperque intelligere liceat, *extrà ordinem* Divinam Dei Voluntatem patefieri, idem eſſe, quod *præter Rationem Naturalem*, & vice verſâ: Quoniam Naturalis Ratio Dei vice Divinam nobis Voluntatem ſolito modo patefaciat. Adeò ut utrumque explicatioris tantum intellectus gratiâ ſcriptum ſit. Sed plus operæ in hoc ponendum eſt, ut rectè percipiatur, quamobrem in definitione hæc verba adjecerim. *Et inſuper jubente.* Quorſum enim *Iuſſus*, inquient? Et an ſola divinæ Voluntatis Patefactio non ſufficit, ut quis annuntiandi Privile-

Digitized by Google

vilegio utatur? Equidem & *Iuſſum* inſuper neceſſarium puto, & cum ſit res perceptu facillima, paucis rationibus & argumentis certam meæ ſententiæ veritatem oſtendam. Nam ſi cui Voluntatis Divinæ Potefactio modo inſolito facta ſit, nullo inſuper *Iuſſu* interveniente, vel accedente, ut eam aliis annunciet: is quidem rectè dici poteſt, ſcientiâ iſtius Voluntatis divinæ à Deo cæteris hominibus, quibus ejuſdem eo modo Voluntatis Patefactio non contigit, ante poſitus, & huic illi poſtpoſiti eſſe: Quod Deus illos eâ ſingulari gratiâ & favore dignatus non ſit: Sed nullo modo nullaque ratione dici poteſt, eam Voluntatem annuntiandi Jure ſive Privilegio indè vel ob id præditus eſſe: præſertim, ſi invitis Prodiis eam annunciaret. Et quidem non magis aliquo Jure Privilegioque eſt præditus, quam alii aliquo Jure Privilegioque ob id præditi eſſent,

Digitized by Google

ſent, qui eam Voluntatem ab eo eam palam annuntiante vel privatim narrante cognoviſſent. Niſi quis fortè *modo* cognoſcendi eam Dei voluntatem, quod ille eam ab ipſo Deo patefaciente, hi ab homine eam patefactam annuntiante vel narrante cognoverint, omnem Juris & Privilegii rationem adſcribat, atque tribuat. Quod à rectâ Ratione nimium recedit, eaque ab omni parte deſtituitur. Nam nulla ſcientia, nulla cognitio alicujus rei, quamvis hæc vel illa alicujus ſola ſit, ſcienti & cognoſcenti Juris aliquid aut Poteſtatis in alios confert, aliiſque præponit: ſed hoc tantum facit, ut ſit aptior magiſque idoneus quicquam ea duce & magiſtrâ peragendi: ſi modo peragere liceat. Adeò ut nuda ſcientia aut nuda cognitio, hoc eſt, Privilegio eâ invitis Prodiis utendi non munita, ſcienti & cognoſcenti nullo modo Privilegium tribuat,

buat, ſed ſolum illis proficiat & proſit, quibus eâ ſcientiâ & cognitione utendi Privilegium accedat. Quemadmodum uſu rerum quotidiano Docemur, eum, qui ſcientiâ & multarum rerum cognitione cæteros longè ſuperat & antecedit, non ob id Privilegio quidvis, vel hoc vel illud faciendi, alios ſuperare aut aliis præpoſitum eſſe, ſed nonnunquam Iuris & Privilegii cauſâ & vi *hominibus ineptioribus* tributi, his præſtantiſſimos omni ſcientiâ & cognitione viros parere compelli. Et ob id tamen illos non queri, quamvis ſe poſtpoſitos & ſuppoſitos doleant, cum nullo Jure de injuriâ quererentur.

Quæ ita à me diſputata & nonnullis comprobata rationibus & argumentis, ut à calumniis adverſariorum etiam tuta præſtentur: ipſe mihi argumenta confingam, quæ potiſſimum meæ videri poſſent ſententiæ adverſari. Et primum

mum quidem argumentum hoc eſto. De ejuſmodi rebus Divinæ Voluntatis *Patefactiones* eſſe poſſe, quæ non ad eum modo, cui eæ contigerunt, verum etiam ad alios homines pertineant: veluti de æternâ hominum ſalute. Ut aliorum non minus, quam illius eas ſcire & cognoſcere interſit. Et propterea fraternæ charitatis & amoris, aliis hominibus debitæ neceſſitate quis compellatur, quamvis *Iuſſu* Patefactionibus non inſuper addito, res adeò ſcitu cognituque neceſſarias aliis hominibus annunciare. Sed hoc argumentum nullius momenti eſſe ab omnibus, ut confido, cenſebitur, qui in memoriam paulisper revocare velint, quæ ſuperius à me diſputata & aliquoties repetita ſunt, de omni & ſumma Prodeorum in omnes & ſingulos Cives Jure & Poteſtate. Nam confeſtim mihi in hoc conſentient, unum quemque quantum ad

ad neceſſitatem ſciendi & cognoſcendi attinet, ſibi tantum & non aliis eam dijudicare licere: quæ divina *libertas* eſt *Religionis internæ*, & hominis Deum Opt. Max. *ex animi ſolius ſententiâ* colentis: & in quam quemque Prodiis nihil Iuris aut Poteſtatis transferri poteſt, aut competit. Sed quatenus ea earum rerum ſcientia & cognitio etiam aliis hominibus adeò eſſet neceſſaria, ut eas illis annuntiari oporteret; cum *Corporis* & non *Animæ* ſolius uſus intercedat, & vel *Corporis*, tantum cum ore ſcriptove annunciatio omnis peragi debeat, Prodeorum tantum eſſe diſcernere & dijudicare, utrum annunciari eas res nec ne, & ſuæ & ſuorum Civium ſaluti ſit neceſſarium. Quod difficulter credendum eſt: cum utique in incerto erit, an Deus Opt. Max. res eas uni patefactas aliis etiam patefieri & annunciari velit, quibus eas patefacere æquè

atque huic uni potuiſſet, ſi voluiſſet. Et quæ non inſuper juſſerit, ut aliis annunciarentur: Cum tamen Prodii ipſius vice & loco Civibus imperantes, ut earum rerum & ejus Voluntatis ignari, annuntiationem omnem Jure ſint prohibituri. Maximè, cum omni fide indignus videatur, qui incredibilia & Deo Opt. Max. indigna Civibus annuntiaturus ſit; veluti novam aliquam de æternâ ſalute Doctrinam, eamque ut neceſſariam: ſine quâ tamen omnes hactenus Deo Opt. Max. viventes morienteſque confiſi ad æternam ſalutem prevenerint, aut perveniſſe credantur. Quemadmodum & hæc Doctrina ſuperiori ad huc multò magis eſſet incredibilis: Decreviſſe Deum Opt. Max. ex quo tempore quarumdam rerum alicui Patefactio facta eſt, neminem deinceps ſinè earum ſcientiâ & cognitione, ſed ea ſolum prædito ad æternam ſalutem perducere.

cere. Nam Voluntatis ſuæ incertum & ſibi non conſtantem Deum Opt. Max. fingeret, qui ſuum tamèn Decretum de æterna ſalute hominibus largienda & donanda, ut æternum, & conditiones, quibus ſit largiturus donaturuſque ut ſempiternas in ſacris Codicibus patefecit. Et ſuprà dictis alia porrò & hæc nova de neceſſitate dubitandi ratio accedat: Quod vel idcircò aliqua ſciendi & cognoſcendi neceſſitas multò minus præſumenda ſit, cum Deus Opt. Max. præterquam, quod Patefactionibus *Iuſſum* non adjecerit, prætereà quoque non patefecerit, earum rerum ſcientiam & cognitionem aliis neceſſariam eſſe. Adeò, ut quocunque modo res accipiatur, aut nulla ſit confingenda neceſſitas, aut ſi qua ſit (quæ tamen eſſe non poteſt, cum Deum Opt. Max. Voluntatis ſuæ ſive Decræti pœnitere non poſſit) ei ſoli earum rerum ſcientiam

fuiſſe videri neceſſariam, cui *Patefactiones* Contigerunt, & eâ de cauſa huic uni videri contigiſſe.

Porrò, ut eadem opera non nihil de divinis Patefactionibus adhuc adjiciam, quod ſæpius uſu venit. Fingam *Patefactiones* à Deo de rebus ejuſmodi alicui factas eſſe, quæ hactenus hominibus non latuerint, ſed vel in ſacris Codicibus commemoratæ reperiantur, vel alioquin Ratione Naturali ſint manifeſtæ & cognitæ, quamvis homines fortè eas non faciant, cum ſint faciendæ, aut faciant, cum non ſint faciendæ. Verum quis hinc neceſſitatem diceret ei impoſitam, eas aliis annunciandi? Quis Jus cuipiam acquiſitum, eas Prodiis etiam invitis annunciandi? Et tamèn omnis Ætas vidit, homines eâ male ſana vel prava mente præditos, qui ex eo & neceſſitatem ſibi impoſitam, & Jus invitis Prodiis annuntiationes earum rerum faciendi acquiſitum, & à Deo

à Deo ſibi datum dixerint. Cum tamen omnes mecum, quibus ſola Veritas omni privato honore & utilitate potior eſt, fatebuntur: in his ipſis rebus à Deo ita cuiquam patefactis utilitatem quidem eſſe poſſe, vel fortè neceſſitatem, ut homines eas res doceantur, ſed neceſſitatem nullam ei impoſitam, cui Patefactiones earum rerũ contigerunt, ut ſine *Juſſu* Dei patefacientis, & quidem invitis Prodiis ad docendum eas accedat. Cum è contrario idem Deus Opt. Max. & in ſacris Codicibus juſſerit, & quotidie per Rationem Naturalem quemvis jubeat, ut Prodeorum voluntati & imperio Cives in omnibus & per omnia pareant, & obtemperent; Et iis invitis nihil quicquam committant. Quorum tamen *Permiſſu* ſolo (ſive tacita ſive manifeſta voluntate permittant, nihil refert) nec aliter Civibus quidquam Juris acquiritur, aut acquiri poteſt, Di-

vinas Patefactiones aliis Civibus annunciandi.

Apparet igitur, ut quis Jure *Patefactiones* qualeſcunque Divinas aliis annunciet, *Juſſum* Dei Patefactionibus accedentem omninò eſſe neceſſarium. Alioquin Prodeorum arbitrio totam rem committendam eſſe, ut annuntiationes fieri vel concedant, vel prohibeant. *Juſſum* autem Dei patefacientis, non modo verum deſidero, ſed de quo Prodiis liquidò conſtare poſſit. Nec diſtinguo, ſive idem Deus & Prodiis patefaciat, ut concedant, ſive alio quocunque modo Divinæ Voluntatis Prodii ſcientes & certi fiant. Nam ſi ipſis de Dei patefacientis *Juſſu* non conſtaret, quamvis etiam quis fortè annunciare juſſus ſit, Rationi Naturali ſivè Deo per eam imperanti nihil adverſi committerent ſed etiam pie rectèque annunciationes prohiberent. Quandoquidem Dei *Juſ-*

ſus

ſus Juſſum quidem obliget ad annunciandum, ſed nullo modo *injuſſos* Prodeos, ut annuntiationes fieri patiantur. Nam quantum ad Prodeos Juſſum Dei patefacientis ignorantes attinet, etiam *verum* Iuſſum pro *ficto* & *falſo* habendum eſſe palam eſt.

Sed quid ſi Prodiis de Voluntate Dei cum patefacientis, tum inſuper Jubentis, quocunque modo conſtiterit, & tamen ipſi juſſi non ſint rei rerumque patefactarum annunciationes non prohibere: an diſtinguendum erit? Et ego quidem diſtinguendum non puto, ſive ipſi juſſi ſint, ſive alio quocunque modo divinæ Voluntatis certiores facti ſint. Ut idem hîc dicendum ſit, quod de tacitâ & manifeſta voluntate Prodeorum diſputavi; In quâ utraque nihil eſſe conſtituendum diſcriminis ex eo quavis re clara & manifeſta eſt evidentius, quod omnis *Obedientia* in eo conſiſtat, quod

voluntati vel Dei vel Prodeorum obſequamur. Et Divinæ quidem voluntati non ſatisfieri à Prodiis palam eſt, ſi annunciationes ſcientes prohiberent, quas tamen fieri voluiſſe Deus Opt. Max. jubendo demonſtraverit.

Ne autem hæc diſputatio mea in fraudem meæ, ſententiæ quæ eò pertinet, ut per me & Dei Opt. Max. Jus in Prodeos, & Prodeorum in Cives ſartum, tectumque conſervetur à quoquam ita accipiatur, quaſi ſolus Dei *Iuſſus* & is quidem Prodiis cognitus ſufficiat, ut Juſſus ab omni parte Prodeorum Juri & Poteſtati ſit ſubductus, & ſui Juris & Poteſtatis factus infinitam ſibi arroget annuntiandi licentiam. Notandum eſt, & negari non poterit; Uti Deus jubere voluit, & propterea juſſerit, ſi *modum* annunciandi *Iuſſui* adjeciſſet, Jus annunciandi *modum* Dei *Iuſſui* adjicientis non exceſſurum: cum eo Voluntas Jus annuntiandi Juſſo

Juſſo tribuens, terminaretur: Et proindè, id omne à Dei Voluntate non procederet, quod & quatenus eum *modum* excedat. Quamobrem ſi modum non adjecerit, qui *modus* in annunciendo ſervandus ſit, non *Iuſſi* ſed *Prodeorum* arbitrio decernendum à Deo relictum eſſe intelligitur: Cum eo Prodeorum Jus & Poteſtatem non imminuerit, aut dici poſſit imminuere voluiſſe. Quod tamen utique ſi fortè aliquando rationes dubitandi non deſint, Juſſus ſibi ſoli, & non pro Civibus, & multò minus Prodiis, ſine alio & novo Dei Privilegio, judicare liceret. Cum Prodiis idem Jus hunc *Iuſſum* divinum interprætandi competeret, quod illis in utriſque ſacris Codicibus interprætandis competere, alio loco comprobavi. Et propterea eædem diſtinctiones & hic locum haberent, quas de Prodiis, & qui Deum eſſe credunt, & qui non credunt, eodem loco confeci.

Et

Et ſic ex iis, quæ hactenus diſputavi, manifeſtum eſſe arbitror, quales eſſe divinas *Patefactiones* oporteat, ut alicui Juris aliquid & Privilegii ex iis acquiratur. Sed ut evidentius appareat, quam difficulter cuiquam Juris quicquam acquiri poſſit, & *Iuſſus* neceſſitatem, & quod Prodiis innoteſcere debeat, conſiderari oportet. Et quidem in Patefactionibus ſæpe numero *Iuſſus* Dei deſiderabitur. Multi enim ab omni Ævo homines extiterunt, Patefactiones rerum ſcitu neceſſariarum, vel futurararum ſibi quidem factas eſſe gloriantes, ſed pauci, qui ſe inſuper Juſſos dixerint, eas Patefactiones annunciare. Et ſi *Iuſſus* fortè Patefactionibus accedat, quo modo quæſo, de Veritate juſſus Prodiis liquidò conſtare poterit, ſi oculos & mentis aciem in varia tempora, quæ poſt Chriſtum natum & nos interceſſerunt & varias Eccleſiaſticorum ſectas, diver-

Digitized by Google

verſiſſima & contraria ſentientes & docentes, converterint. Et maximè, ſi ipſorum de Deo & rebus divinis ſententia, quamque per Eccleſiaſticos *Miniſtros*. Cives docere voluerint, rebus illis, quæ patefactæ dicuntur, omni modo adverſetur. Ut alias quam plurimas difficultatis cauſas & rationes prætermittam, quæ ferè impoſſibilem *Iuſſus* cognitionem ſint facturæ, niſi prætereà Deus Opt. Max. & Prodiis jubeat, earum rerum annuntiationes pati, quas ipſis ignorantibus quem annunciare juſſerit.

Planè quamvis ità difficultèr cuiquam Iuris aliquid divini Prodiis invitis acquiri poſſit; ut ferè nunquam cuiquam acquiſitum dici, aut uſui eſſe poſſit: nullo proinde modo, multoque minus perſpicere poſſim, quo pacto ex divinis hujuſmodi *Patefactionibus* aliquid Divini Iuris & Privilegii Eccleſiaſticis omnibus, ſive eorum

rum univerſo Ordini acquiri poſſet. Cum *Iuſſus* illi Divini Uni, vel Quibuſdam tantum hominibus contingerent, & cui quibuſve proinde ſolis Iuris & Privilegii divini aliquid acquiſitum eſſet. Et nulli ferè ulla ætate homines extiterint, qui cum Patefactiones ſibi factas dixerint, *Iuſſum* etiam iis adjectum dixerint, aut ſi forte adjectum dixerint, eum etiam ad alios, quam ad ſe ſolos pertinere, voluerint. Quanquam, ſi pertinere dicerent, eadem difficultas *Iuſſum* cognoſcendi impediret, quominus *Iuſſum* jure recteque exſequerentur. Illud autem Homines Prudentiores ſemper obſervarunt; Quoniam Ius hoc privatum, & non ad univerſum Eccleſiaſticorum *Ordinem* pertinere dixerint, hujuſmodi hominibus nullos magis infenſos & adverſos hoſtes contigiſſe, quam ipſos Eccleſiaſticos, qui ſe minoris fieri à Deo nullo modo aut videri voluerint,

aut

Digitized by Google

aut etiam nunc patientur. Quamobrem demum ita Rem definire licet: *Nulla etiam divini Iuris Privilegia Eccleſiaſticis hominibus ex Voluntate Dei Extrà ordinem, & præter Rationem Naturalem patefacta deberi, quæ illis Iure recteque tribuantur.*

Tit. IX.

De Privilegiis humani Juris in genere. Et ſpeciatim, quod nulla Privilegia cujuſcunque Juris Extranei, tam antiqui, quam novi, ad Eccleſiaſticos pertineant.

HActenus de Divini Juris Privilegiis, eorumque tribus ſummis generibus, ad quæ quodcunque Privilegium *Divini Iuris* vocari poſſit aptè revocari poſſe videtur, latiſſimè diſputavi. Quamobrem ordinis ratio poſtulat, ut etiam de *humani Iuris* Privilegiis

giis videatur. Quæ quo attentius conſidero, eo magis inducor, ut credam, mihique perſuadeam, quam aptiſſimè ea ad hæc tria ſumma genera, quæcunque Juris extranei dici poſſint, reduci poſſe. Nimirum; *Ut ea Iuris extranei, vel antiqui, vel novi eſſe debeant.* Deinde; *Vel ex pactis & Conditionibus fœderum ab Extraneis Prodiis cum ipſorum Prodiis initorum deſcendere.* Poſtremò; *Vel ex Uſu & Conſuetudine contrario, tam ſuorum, quam Extraneorum, veterum & recentium Prodeorum Provenire.*

Quod autem, nulla ex tribus his ſummis generibus Privilegia, hoc eſt, nulla omninò Iuris humani & Extranei ad Eccleſiaſticos pertinere poſſint, deinceps docturus, ſingula genera ſingulis tractanda Titulis deſtinavi. Et quidem Primum genus Privilegiorum humani & extranei Iuris hoc Titulo explicabo; & palam planumque faciam, rectæ Rationi & Juri

Juri convenienter me contendere. *Nulla omnino Privilegia cujuſcunque Iuris extranei, tam antiqui, quam novi, ad Eccleſiaſticos pertinere.*

Quod ut breviter & liquidò fiat initio notandum eſt, quod appellatione *Iuris extranei*, illud omne Jus intelligo, quod ab aliis, quam à ſuis Prodiis Provenit, alioſque quam ſuos ipſorum Prodeos auctores habet. Quamobrem etiam dicendum, eſt, omnia iſthæc Juris extranei Privilegia ejus originis & conditionis eſſe, ut à ſuis auctoribus & extraneis Prodiis quibuſdam ex ipſorum Civibus, ut cæteris in ſuâ ipſorum Civitate ſuperiores vel præpoſiti eſſent, data tantum & conceſſa ſint: non autem *extraneis*, hoc eſt, alterius ſivè extraneæ Civitatis Civibus, ut cæteris ejuſdem extraneæ Civitatis Civibus ſuperiores vel præpoſiti eſſent. Cujuſmodi tamen omnia extranei Iuris Privilegia eſſe debeant, ſi ad alterius Civi-

vitatis Cives Eccleſiaſticos pertinerent, & ipſis Iure deberentur. Quapropter, ut etiam oſtendam, quod nulla ejuſmodi *Iuris extranei* Privilegia ſint, aut eſſe poſſint, breviter nonnulla hoc loco erunt repetenda, quæ initio hujus Libri fuſius diſputavi, ut de eo amplius nulli liceat dubitare. Et primò; quod nulla *Inæqualitas* hominum, præterquam in ſolo ſtatu Civili oriri poſſit, & cæteros omnes ut in Statu Naturali, ita Æquales inter ſe eſſe, & manere. Et hinc etiam alterius Civitatis Prodeos, ſi cum alterius Civitatis Civibus comparentur, hos, illis quamvis Prodiis, æquales eſſe: ſicuti etiam Diverſarum Civitatum Prodii interſe æquales ſunt: cum utroque caſu, nullâ Civitatis communione intercedente, omnes ut in ſtatu Naturali Conſtitutos haberi & conſiderari oporteat. Quemadmodum etiam reverâ adhuc in ſtatu Naturali manent con-

Digitized by Google

conſtituti, qui per Civitatis unius conſtitutionem ſtatum Naturalem in Civilem non commutaverint, aut licet diverſarum Civitatum Cives ſint, alii tamen ad aliorum jam conſtitutam Civitatem, ſtatumque Civilem non tranſierint, & unius Civitatis partes ſint effecti: Cui rei conſequens eſt, cum in Statu Naturali & *Æqualitatis* nihil Juris aut Poteſtatis alii in alium competat, aut competere poſſit, nec alterius Civitatis Prodeos noſtræ Civitatis Civibus Privilegia, & vice verſâ, nec noſtræ Civitatis Prodeos alterius Civitatis Civibus Privilegia dare aut concedere poſſe. Nam cum noſtræ Civitatis Cives in alterius Civitatis Prodeos nihil Juris aut Poteſtatis Naturalis tranſtulerint, & ne transferre quidem, jam antè in noſtros Prodeos omni Jure & Poteſtate per manifeſtam vel tacitam voluntatem tranſlato, poſſint, nihil

Digitized by Google

Juris aut Poteſtatis illis competit, ut alios Cives aliis & cæteris præponant, vel alios & cæteros aliis quibuſdam Civibus ſupponant. In quibus tamen rebus omnis Privilegiorum ratio & vis conſiſtunt. Quapropter, ſi fieri per rerum naturam poſſet, ut alterius Civitatis Prodii noſtris Civibus aliqua, qualiacunque Privilegia darent & concederent, & ea Jure rectèque dari & concedi dicerentur, & ſimul hoc dicamus neceſſe eſt, illos Prodeos etiam noſtræ Civitatis Prodeos eſſe, nobiſque omnibus præ eſſe: noſtros autem quos vocamus Prodeos, ita falsò vocari, neque Prodeos eſſe, ſed illorum Prodeorum miniſtros, qui eorum juſſu & auctoritate nos noſtraque omnia procurant, & adminiſtrant.

His autem, quæ ità à me diſputata ſunt, nullo modo adverſatur, quod quidem objici, quamvis nullâ ratione, poſſet? Quod in omnibus

Digitized by Google

bus vel pleriſque Civitatibus & Rebuspublicis Chriſtianis uſu veniat, quod antiquum Pop. Ro. Jus, itemque quod Canonicum ſive Pontificium appellatur, & nonnunquam etiam aliarum Civitatum, ſive Populorum, tam antiquorum quam recentium Iura & Conſuetudines utilitèr allegentur, & huic uſui ſint, ut vel eadem, quæ in illis Civitatibus Privilegia data & conceſſa fuerint, vel ad exemplum eorum ſimilia & æqualia ſibi Cives Iure rectèque tribuant, eorumque beneficio aliis ſe Civibus præponant. Et quod idem Civibus Eccleſiaſticis liceat, aut licere debeat. Nam iſthæc Iura & Conſuetudines non quatenus aliarum Civitatum ſunt, ſed ut manifeſta, ſi iſthæc juſſerint obſervari, aut ut tacita præcepta, ſi illis uti Civibus Prodii non vetent, ſed uti etiam patiantur, ad Cives noſtros pertinent, & obligant. Et proinde deſinunt extra-

nea Iura & Conſuetudines eſſe, ſimul atque vel manifeſto vel tacito noſtrorum Prodeorum juſſu vel conſenſu à nobis ſunt recepta. Et nihil priſtinæ conditionis retinent, quam quod dici: poſſint olim aliarum Civitatum Jura & Conſuetudines fuiſſe: & è contrario, ejus conditionis fiunt, cujus illa Jura ſunt, quæ ad exemplum jurium extraneorum à Prodiis noſtris ſunt conſtituta, & illæ Conſuetudines, quibus omninò conſimiles in noſtrâ Civitate uſu introduci Prodii noſtri paſſi ſunt. Quamobrem, cum eodem Jure & ordine haberi debeant atque alia Prodeorum noſtrorum Jura, quæ primitus à noſtris Prodiis ſunt conſtituta, aliæque Conſuetudines, quæ primitus eorum patientia ſivè tacito conſenſu ſunt introductæ, ſuper vacuo labore contenderim, cum eorum voluntate, ſicuti cætera quoque Jura & Conſuetudines ambulatoria eſſe:

Et

Digitized by Google

Et proinde *nulla ex illis Privilegia, ut ex Extraneis, ſed ſolum ex Prodeorum noſtrorum Voluntate ad Eccleſiaſticos pertinere.*

Tit. X.

Nulla etiam Extranei Juris Privilegia ex Pactis & Conditionibus fœderum ab Extraneis Prodiis cum ipſorum Prodiis initorum ad Eccleſiaſticos pertinere poſſe.

SEcundum genus Privilegiorum Extranei Juris, ſi quæ ad Eccleſiaſticos pertinerent, *ex Pactis & Conditionibus fœderum ab Extraneis Prodiis cum ipſorum Prodiis initorum deſcendere deberet.* Quod autem neque ex hujuſmodi Pactis & Conditionibus ulla ad eos Privilegia pertineant, quæ Juris Extranei eſſe dici poſſint, perſe erit

manifeſtum, ſi comprobavero, vel ipſam omnis ſivè cujuscunque Reip. ſive Civitatis rationem & naturam non pati, ut quæpiam extranei Juris Privilegia, ad alterius Civitatis Cives, tanquam extranea pertineant. Non quod Cives alterius Civitatis extranei Juris Privilegiorum ſint incapaces, ſed quia Extraneis Prodiis Jus & Poteſtas deſint, aliis Civibus, quam ſuis, Privilegia qualiacunque concedendi. Quibus ſi idem Jus & Poteſtas adeſſent, quorum ſolâ vi omnis & cujuſcunque Civitatis Civibus Privilegia dari & concedi poſſint, ut ea extranei Prodii dare & concedere poſſent, ita etiam eorum capaces alterius Civitatis Cives eſſent. Verum hæc vel ſui naturâ, & per ſe adeò ſunt manifeſta, & omnium judicio cognitu & judicatu facilia, ut ſupervacuo opere & labore amplius confirmarentur.

Illud itaque videndum erit, quam-

quamobrem Prodii non aliis Civibus quam ſuis, & conſequenter non alterius Civitatis Civibus Privilegia dare & concedere poſſint. Quæ res facilis operæ eſt, ut etiam manifeſtò doceatur. Repetenda, enim tantum ſunt ea, quæ ſuperius aliquoties à me tractata locum hîc denuo habere & tractari poſtulant. Nimirum omnes homines naturâ ſive Jure Naturali æquales eſſe, & hanc eſſe vim & naturam ejus *Æqualitatis*, ut ab æqualibus in æquales nihil Juris transferri poſſit: Et quidem non *Extranei*, quia nondum habeant: alioquin jam tum inæquales eſſe eos, & ſuperiores aliis oporteret: Neque *ſui*, quia ejus tranſlatione aliis inæquales & inferiores efficerentur. Quo caſu ab inæqualibus & inferioribus in inæquales & ſuperiores, non autem ab æqualibus in æquales quicquam Juris tranſiret: quia æquales utrinque non manſerint. Et in-

dè omnem Inæqualitatem in Statu Civili oriri, quod omnis Juris & Poteſtatis naturalis in Prodeos translatione factâ, homines ſe ipſos Cives, & Prodeos ſe ipſis ſuperiores fecerint. Notandum etiam eſt, & eam hujus tranſlationis vim & naturam eſſe, ut quamdiu Cives ſive in Statu Civili maneant, & hoſtes cæterorum Civium & Prodeorum eſſe, vel fieri nolint, quod tranſlatum Ius & Poteſtatem alio modo recuperare nequeant, niſi ab iis, qui utrumque poſſident, & iis quidem tacitâ, vel manifeſtâ voluntate reſtituentibus. Qui ſi uni vel pluribus Civibus quicquam Iuris tranſlati Poteſtatiſque rurſum largiantur, & quatenus largiantur, cæterorum etiam num Civium Iure & Poteſtate retento, id ejus eorumve privilegium eſt, & quidem majus minuſve, prout plus minuſve Iuris & Poteſtatis priſtini Prodii ſint largiti. Nam omne Ius & Poteſta-

teſtatem quibuſdam vel omnibus Civibus reſtituendo, illo caſu nonnullos Civitati eximerent, & ad Statum Naturalem reducerent, hoc vero univerſam Civitatem tollerent, & omnes tam Cives, quam Prodii ad priſtinum ſive Naturalem ſtatum reverterentur: Et rurſum omnes inter ſe æquales fierent, omni ſcilicet Inæqualitate cum interitu Civitatis ſublatâ.

Apparet igitur, ab extraneis Prodiis in alterius Civitatis Cives nihil Iuris transferri poſſe. Primò; quià transferre & transferendo reſtituere non poſſunt, quod nunquam habuerunt. Deinde: quià in ſtatu Naturali ſunt, uti duarum Civitatum Prodii & Cives, ita etiam extranei Prodii & alterius Civitatis Cives: cum inter hos omnes nulla Iuris & Poteſtatis Naturalis mutatio facta ſit, nec promiſerint eo eâve in ſe invicem non uti, & proindè, nihil hinc

hinc indè Iuris & Poteſtatis in alios dici poſſit tranſiiſſe. Poſtremo: quià omnis alterius Civitatis Prodeorum Iuris & Poteſtatis tranſlatio extraneis Civibus facta, ſi quid Iuris & Poteſtatis extranei extraneis Civibus acquiri poſſet, id ipſis non in ſuos, ſed in alterius Civitatis Cives competeret: quorum Juris & Poteſtatis tranſlatio ipſis facta eſt. Quo pacto cæteris tamèn ſuis Civibus, quia & quandiu ipſi Cives manent, æquales etiam, & ſuis etiam Prodiis inferiores manerent. Nec aliter res ſe haberet, ſi uni pluribuſve noſtræ Civitatis Civi Civibuſve omne alterius Civitatis Ius & Poteſtas transferrentur, & Prodeus Prodiive fieret, fierentve. Nam adhuc ſuis Civibus æquales, & ſuis Prodiis inferiores manerent: quoniam omnem & integrum omnium virium ſuarum uſum, quem ſuis Prodiis jure Civitatis ſive ſtatus Civilis debent, nundum

illis

illis invitis tanquam hoſtes receperint, aut à volentibus Prodiis recuperaverint: Et proindè adhuc obligati ſunt ac maneant, quantum animi corporiſve viribus poſſint, Prodiis ſuis hoc jubentibus illis quondam alterius Civitatis Civibus ex eorum arbitrio imperare, & eorum omnium vi & poteſtate uti tàm ad conſervationem, quam ad commoda ſuæ Civitatis ſivè Reip. procuranda. Ità ut noſtri Cives ità alterius Civitatis Civium Iure & Poteſtate donati, non aliter aliove modo ſint habendi, aut accipiendi, nec hæc res univerſa alitèr interpretanda, quam quòd per eos noſtri Prodii omne illorum Civium Ius & Poteſtatem acquiſierint; illoſque Ex hac tranſlatione hoc præcipui duntaxat retinuiſſe: quod Prodii noſtri ipſorum, & nondum aliorum *Miniſterio* utantur, in illâ jam non amplius Civitate, ſed communis Civitatis

tis parte adminiſtrandâ. Nam & ipſis Prodii noſtri vetare, hoc eſt, prohibere potuerunt, ne ſe extraneæ Civitati præfici paterentur, & ut derelinquant, poſtquam tranſlatum Jus & Poteſtatem accipiendo præfecti ſunt. Et quidem hujus tranſlationis & Præfecturæ hanc vim eſſe ne quis cogitet, ut Jus aliquod ipſis adhæſerit. Nam ne momento quidem temporis in eorum perſonis tranſlatio integra aut in ſolidum conſtitit, quin per eos ad & in ſuos Prodeos integra & in ſolidum tranſierit. Cujus rei ratio hæc eſt: Quod ne momento quidem temporis Cives eſſe deſierint, ut quidpiam ipſis acquiri potuerit, quod non ſimul & eodem tempore ſuis Prodiis fuerit acquiſitum. Et modus quidem ſuis Prodiis acquirendi hic eſt: Quod in priſtinâ voluntate perſeverando, quâ, ut olim nihil Iuris & Poteſtatis ſui ſibi retinere, ita nec extranei acquirire volue-

voluerint, quo quâ ve ipſi ſibi uterentur, ſed mente animoque ſuis Prodiis acquirendi, & ut illi per eos ejus etiam uſum acquirant, dicendi ſint omne Jus & Poteſtatem per ſe in ſuos Prodeos tranſlatum agnoviſſe. Nam alia mente animoque agnoſcentes & accipientes bonorum Civium officio non fungerentur, ſemper aliquo Jure & poteſtate ſivè viribus uti nolentium, verum etiam hoc omne Prodeorum arbitrio committentium, & Exiſtimantium omne ipſo Iure tranſlatum, nihil ſibi, ſed per ſe Prodiis acquiſitum eſſe.

Quamobrem ſi alterius Civitatis Prodii in fœdere faciendo hanc conditionem noſtris conſentientibus Prodiis adjecerint, pactique ſint, ut noſtris Civibus Juris aliquid & Poteſtatis reſtituant, hoc eſt, ut ſuâ voluntate ſive volentes tale quid concedant: Paciſſi enim debent, ut noſtri Prodii quid

Digitized by Google

quid faciant, ut eo facto licet ficto, putâ tacitâ conceſſione, aliquid privi Juris noſtris Civibus acquiratur; quia ipſo Iure ſive per ſe nihil facere, nihil transferre, nihil reſtituere poſſunt, ſecundum ea, quæ ſuperius à me diſputata ſunt: Quis eſt, qui non videat, aut negare invita Ratione velit, peſſimè & nullo modo extraneum hoc Ius, aut hæc extranei Juris Privilegía dici poſſe: quod quæve ab extraneis Prodiis ad noſtros Cives pervenire, hoc eſt, extraneum Ius extraneive Iuris Privilegia dici non poſſit poſſintve, niſi ab illis ut Ius & Privilegia aliqua conferre valentibus per noſtros Prodeos tanquam eorum *Miniſtros* ad noſtros Cives pervenerint. Quod Ratio Civitatis fieri non patitur. Nam & ſic nihilominus hoc Ius & hæc Privilegia antè noſtrorum Prodeorum fierent, illisque acquirerentur, quàm ad Cives pervenirent. Et proindè

proindè noſtri Prodii hoc Ius ut ſuum, & hæc Privilegia ut ſua, non autem tanquam extraneum Ius, extraneive Iuris Privilegia noſtris Civibus darent atque concederent. Sed cum hoc figmentum à rei Naturâ & veritate eſt alienius, quam ut aliquâ Ratione locum habere debeat, meritò prætermittam.

Cum itaque hæc Pacta fœderum proprii pacti naturam non egrediantur, ut nec egredi poſſint, & pacta tamen manere, eorum etiam hæc vis & poteſtas erunt, ut *Æquitate Naturali* Prodii ea debeant ſervare. Sed hoc modo ipſi Prodii neque ſuis Civibus ſunt obligati ad hæc Pacta ſervanda; quià cum his pacti non ſunt: neque extraneis Prodiis, quià ipſis ex iis Pactis nihil Iuris eſſet acquiſitum, quod ſibi pacti non ſint, ſed aliis & extraneis hominibus, quorum in poteſtate non ſunt, nec unà cum illis in eodem Statu Civili, ſive

Civitate conſtituti: quo caſu nonnullarum Gentium Civili Jure aliis etiam, quam paſciſcentibus obligatio acquiritur: quæ Jure Naturali nulla eſt. Sunt igitur, ſi ita voluiſſe, uti cum extraneis Prodiis convenerunt, noſtros Prodeos dicamus, pacta quidem conventa hîc aliqua (quæ ne eſſent quidem, ſi verbis duntaxat paciscentibus uſi aliquid contrarii cogitaſſent, ſive voluiſſent, quam quæ verbis pacti ſunt atque convenerunt) ſed quæ à ſolâ Prodeorum voluntate dependeant, an Civibus quippiam Iuris ſecundum ea pacta dare & concedere velint. Et ſic re verâ nihil aliud, quam nuda Prodeorum noſtrorum voluntas id faciendi, dandi & concedendi, quod alii & extranei Prodii petierunt, ut ſuis Civibus facerent, darent & concederent. Nulla igitur ſive Iuris ſive alia quæpiam vis Pactorum eſt ejuſmodi, quam quod incertam vel vanam ſpem præbeant Iuris

quip-

Digitized by Google

quippiam conſequendi; Cum hominum voluntas ſit ambulatoria, & ut ab initio non velle, ita poſtquam voluerint, velle deſinere poſſint. Quamobrem tandem licet concludere: *Nulla omninò extranei Iuris Privilegia ex Pactis & Conditionibus fœderum ab extraneis Prodiis cum ipſorum Prodiis initorum ad Eccleſiaſticos pertinere poſſe.*

Tit. XI.

Nulla etiam Privilegia ex Uſu & Conſuetudine contrario tàm ſuorum, quàm extraneorum, Veterum & Recentium Prodeorum ad Eccleſiaſticos pertinere poſſe.

SUpereſt, ut de vi & poteſtate *Uſus* & *Conſuetudinis* contrarii, tàm ſuorum, quam Extraneorum, Veterum & Recentium Prodeorum, an indè ulla ad Eccleſiaſti-

ſiaſticos Privilegia perninere poſſint, diſpiciatur. Quod nullâ ratione modoque fieri poſſe, ut dilucidè doceam: initio nonnihil de ſignificatione verborum, quibus uti placuit, dicendum videtur. Equidem *Uſus* nomine intelligo, ſi tacitâ voluntate Prodii ſuis Eccleſiaſticis permiſerint, Jure quodam ſingulari uti, ſivè, quod idem eſt, ſi Patientia Prodeorum aliquo ſingulari Iure uſi ſint, quo cæteris Civibus aut uti non licuit, aut quo & cæteri Cives uſi non ſint. Eoque ſingulari Iure Eccleſiaſtici jam uti *conſueverint*. Ut non tantum *Uſu* iſtius Iuris ſingularis, ſed etiam ſæpe iterato, & proinde etiam utendi *conſuetudine* ab ipſis Prodiis muniti videantur. Quamobrem etiam Prodeorum hunc *Uſum* & *Conſuetudinem* appellavi, quòd invitis Prodiis quippiam agendo nihil Juris conſequi queant; cum hoc pacto ut hoſtes ſe ſe, non ut Cives, gererent: Et ipſorum ob id

id *Uſus* & *Conſuetudo* nullius vis poteſtatis & momenti eſſent, niſi *conſuetudo Prodeorum* Uſum iſtum & Conſuetudinem patiendi accederet, & hi tali Eccleſiaſticorum *Miniſterio* in externâ Civium Religione procurandâ uterentur, vel etiam uti conſueviſſent. Neque enim neceſſarium eſſe puto, denuò docere, quod aliquoties longè latèque docui in omnium Civium actionibus, & omni eorum Iure & Poteſtate Prodeos adeò Iure Civitatis (prodivino, vel etiam divino dicere liceret) dominari, ut *quidvis* ipſis manifeſtò tacitèq; volentibus, *nihil* autem ipſis invitis ſivè manifeſtò taciteque vetantibus agere facere, præſertim in alios Cives Civibus liceat.

Quibus ità præmiſſis, cum inde luce clarius appareat, Prodeorum *Uſus* & *Conſuetudinis* hujuſmodi naturam & conditionem cæteris Uſibus, Moribus & Con-

ſuetudinibus cujuſque Reip. ſivè Civitatis eſſe proximam, & conſimilem; & conſequentèr nihil aliud quippiam, quam tacitæ conceſſiones, juſſiones, & voluntatis ſuæ declarationes, quæ à legibus duntaxat in hoc differunt, quod non tacitè, ſed voce vel ſcripto Civibus manifeſtentur: nihil ſub hoc Titulo ad majorem ſententiæ noſtræ confirmationem videtur deſiderari, quam ſi docuero: Juris quicquam Civibus ita non dari & concedi, imò neque ità dari & concedi poſſe, ut id à Prodiis Jure revocari, repeti & recipi non poſſit, ſi velint: & omnes eorum manifeſtas tacitaſque conceſſiones, juſſioneſque cum eorum voluntate, a quâ ſolum dependent, & nullo alio Iure aut vi ſunt, ſubnixæ mutabiles & ambulatorias eſſe. Quod cum toties à me dictum ſit, totidemque Rationibus & argumentis comprobavero, nimis otioſum eſſet, rem toties tracta-

tractatam, denuò repetitam tractare: præſertim cum per ſe Cuivis ſit manifeſta, cui rectæ & ſanæ Rationis uſus, & eâ utendi conſuetudo non deſint.

Quamobrem etiam de vi & poteſtate *Uſus & Conſuetudinis* extranei, ſive aliorum Veterum & Recentium Prodeorum nihil proderit multa proferre: Cum indè non aliter quidquam Juris & Poteſtatis Civibus acquiri poſſit, (nulla enim vis, nulla etiam poſteſtas in alienâ Civitate Uſus & Conſuetudinis contrarii alterius Civitatis) quam tacitâ Voluntate, Patientiâ, Uſu & Conſuetudine ſuorum Prodeorum. Nam recentes Prodii, ut nec manifeſtò, ita nec tacitè *Iuris* quicquam extraneis Civibus dare aut concedere poſſint. Et multò minus hoc Veteres Prodii poſſunt, quià amplius non exiſtunt, & proinde, etiam ſi poſſent, vel propterea tamèn dare & concedere non poſ-

ſent. Verũ cum etiam de hac materia, quantum ad *Iura Extranea*, tam antiqua, quam nova attineat, dilucidâ oratione ſub Titulo IX. diſputaverim, rei dictæ diſputatæque repetitioni parcam: Cum ex his, quæ alibi aliquoties dicta, diſputataque ſunt, ſatis ſuperque jam conſtare exiſtimen: Nullam vim & poteſtatem contrarii Uſus & conſuetudinis eſſe tam noſtrorum, & multò minus extraneorum, veterum & recentium Prodeorum: Et propterea, *nulla ex Uſu & Conſuetudine contrario ad Eccleſiaſticos Privilegia pertinere poſſe.*

Tit. XII.

Ratio hujus Operis: Series argumentorum, & Peroratio.

POſtquam ità inſtituti Operis rationem inſecutus eò tandèm pervenerim, ut nihil ſupereſſe tractandum videatur, quod Ope-

Operis ratio inſtituti deſiderat, quin & alibi non modo à me dictum, ſed etiam multis inſuper confirmatum ſit rationibus & argumentis, quibus hujus *divinæ Veritatis* ratio indubitatò conſtare poſſe videtur: lætus finem proſpicio, & vel res ipſa flagitat, ut Operis inſtituti ratione prius repetitâ & exhibita, concluſionem pòſt ipſius Operis ſubjiciam, & brevitèr perorem. Non enim, quæ me cauſa moverit, quove auctore ad hoc Opus conſcribendum acceſſerim, hîc in fine Operis exponam, ſed *Præfationi* deſtinatur, quâ hæ res explicabuntur. Sed Quæſtionis ipſius Statum, argumenta rationeſque tam mea, quam adverſariorum, quibus ego meam confirmo ſententiam, & hi ſuam tueri ſolent, repetam, & hoc uno in loco exhibebo.

Status Quæſtionis hic eſt. *An Eccleſiaſticis ulla aliundè Privilegia qualiacunque obvenerint, ad eoſque*

pertineant: quin etiam obvenire, ad eoſque pertinere poſſint, quam quæ à Prodiis ſuis profecta ſint. Quod ego negavi: Et ne temerè & imprudentèr illud viderer negaſſe, ipſam meæ Sententiæ Veritatem ex ipſius Naturæ & rectæ Rationis Principiis ità demonſtravi, & hiſce poſt rationibus & argumentis confirmavi. *Primo* loco docui. Poſt ambiguitatem vocis *Eccleſiaſticorum* remotam; *Quod Eccleſiaſtici externam duntaxat Religionem, & quidem Publicam procurent. Secundo:* Oratione ad Prodeos converſâ. *De Origine & Progreſſu Iuris & Poteſtatis eorum ità diſputavi, ut appareat, penes eos eſſe omne Ius, & Poteſtatem Reip. ſivè Civitatis, & nihil Iuris aut Poteſtatis penes Cives eſſe.* Et cum de naturâ Status Naturalis & Civilis potiſſimum, & utriuſque diſcrimine imprimis agendum eſſet. *Tertio* loco docui: *Æqualitatem omnium hominum Naturalem Status Civilis conſtitu-*

tione

tione in Privatis non mutari. Et propterea omnem Inæqualitatem, quæ ſingulorum hominum eſt in Statu Civili ſive Civitate à Prodiis deſcendere & derivari. Et ne quis falſa ductus opinione intèr Eccleſiaſticos & cæteros Cives quippiam inter eſſe diſcriminis arbitraretur. *Quarto* loco: *Omnem Inæqualitatem, Eccleſiaſticorum, uti cæterorum, Civium, à ſolis quoque Prodiis procedere: Nec ullum illorum & horum diſcrimen eſſe.* Atque hæc totius Operis & meæ ſententiæ prima ſunt fundamenta, & principia. Cætera enim, quæ ſubſequuntur, vel ad confirmationem meæ ſententiæ, vel ad refutationem adverſariorum Doctrinæ pertinent. Nam cum Eccleſiaſtici variis Privilegiorum Extraneorum generibus, cæteris ſe Civibus præpoſitos, & hâc ratione inæquales eſſe dicere conſueverint. *Quinto* loco *Privilegiorum extraneorum genera ſummatim enumeravi:* Et hanc quidem

dem extraneorum Privilegiorum ſummam conſtitui: *Quod alia divini, alia humani Iuris eſſe debeant.* Tum ad ea, quæ divini Juris dici poſſint, Privilegiorum genera tranſitu facto, hunc ordinem ſervavi, ut *Sexto* loco docuerim: *Nulla divini Iuris Privilegia in ſacrâ ſcripturâ Veteris & Novi Teſtamenti reperiri, quæ Eccleſiaſticis Iure recteque tribuantur.* Et *Septimo* loco: *Nulla etiam divini Iuris Privilegia Ratione Naturali, ſive lege Naturæ à Deo hominum indita Cordibus Animiſque declarari.* Ut & *Octavo* loco: *Nulla etiam divini Iuris Privilegia Eccleſiaſticis hominibus ex voluntate Dei, extrà ordinem, & præter Rationem Naturalem patefacta deberi, quæ illis Iure rectèque tribuantur.* Et cum alia genera, aliaſve ſpecies divini Juris Privilegiorum non occurrerent, quæ alio nomine appellentur: aut ſi qua fortè ſint, ejus tamèn eſſe Naturæ & Conditionis exiſtimarem, ut tantoperè ab

ab his non differant, quin eodem opere & de illis dictum ſit, aut videri poſſit: *Nono* loco ad humana Privilegia transgreſſus, porrò docui: *Tria tantum eſſe, & quidem plura eſſe non poſſe humani Iuris Privilegiorum genera: Et ſpeciatim: Quod nulla Privilegia cujuſcunque Iuris extranei, tàm antiqui, quam novi ad Eccleſiaſticos pertineant.* Et *Decimo* dein loco: *Nulla etiam extranei Iuris Privilegia ex Pactis & Conditionibus fœderum ab extraneis Prodiis cum ipſorum Prodiis initorum, ad Eccleſiaſticos pertinere poſſe.* Et *Undecimo* pòſt loco: *Nulla etiam Privilegia ex Uſu & Conſuetudine contrario tam ſuorum, quam extraneorum veterum, & recentium Prodeorum, ad Eccleſiaſticos pertinere poſſe.*

Et hæc ratio hujus univerſi Operis, hæc Series argumentorum eſt: ex quibus uno tanquam in loco perſpici poſſit, & quibus meam rationibus & argumentis ſententiam

tiam confirmavi, & adverſariorum Doctrinam refutavi. Non quod omnes & ſingulæ hoc uno in loco rationes & argumenta exhibeantur: aut hiſce ſolis, quæ hîc exhibentur, meam confirmari ſententiam, & adverſariorum refutari doctrinam arbitrer. Quod aliter longè ſe habere vel ipſa Titulorum uberior Oratio demonſtrat. Cum ipſa hujus materiæ dignitas & amplitudo, ut deeſſe rationes & argumenta non patiantur, quæ etiam ſæpè & paſſim ſuperfuerunt, ita inſuper poſtularunt, ut rationes & argumenta novis rationibus & argumentis, confirmarentur: Et viciſſim adverſariorum Doctrina non unâ ſemper ratione unoque argumento contrario refutaretur, ſed nonnunquam etiam ut ipſe mihi *objectiones*, *captationes* & *calumnias* fingendo & refutando, adverſariorum objectionibus, captationibus & calumniis occurrerem & prævenirem.

rem. Uſque adeò, ut bonâ fide profiteri auſim, ut nihil falſi ſciens & dolo malo confinxerim, ità nec quippiam pro certo & indubitato ſtatuiſſe, de quo ulla mihi qualiſcunque ratio dubitandi ſuperfuerit, & de quo ipſiſſimæ eæ rationes & argumenta, quibus uſus ſum, mihi non ſatisfecerint: aliiſque ſatiſfacere poſſe non crediderim. Ut ego tandem vel hunc fructum laboris mei mihi me polliceri & ſperare auſim. Quod ipſi *Prodii*, qui ità ſuum hoc Jus & Poteſtatem in Cives ſuos ſint cognituri, ſimul & hoc cognituri ſint à quibus hoc Jus & Poteſtatem ſuum & cujus facto & decreto acceperint. Ità nec Cives ſuos de opinione ſui, & ſpe melioris ſtatus & vitæ commodioris dejicient, aut defraudabunt. Ita non aliter Dei Opt. Max. voluntati & imperio in omnibus & per omnia in ſuis Civibus regundis obſequentur, quam ſibi in omnibus & per omnia

mnia Cives ſuos obſequentes velint. Denique itâ optimam Civibus & utiliſſimam imperandi rationem, omni privatæ utilitatis ratione poſthabitâ, ſempèr ſequentur quemadmodum & ipſi velint, ut in hoc & futuro ſæculo ipſis utiliſſima & optima quoque à Deo Opt. Max. ſempèr obveniant. Ità & ipſi *Cives*, qui quid & quantum Juris & Poteſtatis in Prodeos ſuos tranſtulerint, ſint cognituri, ſimul & hoc cognituri ſint; *Omnia* Prodiis licere, ſibi autem ipſo Jure *nihil* licere & hinc ipſum Deum Opt. Max. in Prodiis ſuis (Cujus divinæ Majeſtatis *Imago* nulla clarior, quam in ipſis Prodiis conſpicitur atque repræſentatur) in omnibus & per omnia obſequentur: ipſi Deo Opt. Max. ità demum rectè ſervire, nec meliori rationi modove in Statu Civili ſive Civitate ſervire poſſe perſuaſi atque credentes. Nec ſic locum dabunt, aureſque præbebunt cantilenis impo-

impoſtorum & impiorum hominum (& ſi qui fortaſſis ita turpiter errare potuerint, aut etiamnum poſſint) qui ſe aliquid præcipui & privi Juris & Poteſtatis præ aliis Civibus conſecutos, & conſequi poſſe fingentes & ſimulantes, inobedientiam & hoſtiles mores ipſis ſuggerunt atque docent; contrà Prodeos ſuos, & proinde in Deum ipſum, cui per Prodeos in Rep. ſivè Civitate, & in rebus ad commodum & utilitatem ejus pertinentibus, bonorum Civium officium eſt per omnia & in omnibus obedire, atque ita ſervire. Quorum impoſtorum, impiorũ & pernitioſorum hominum conſiliis & propoſito non tantum non conſentient, ſed etiam Prodeorum ſolum de his Jus eſſe judicandi & arbitrandi exiſtimantes, non modo eorum judicio & arbitrio ſtabunt, ſed & illis adverſabuntur, omniumque ſuarum virium uſum Prodiis non denegabunt in illis

Digitized by Google

quâvis ratione coercendis. Ut ita & Prodii & Cives utrinque ſuo officio benè, ex animi ſui ſententiâ & bonâ fide fungentes, utrique Deo Opt. Max. rectè ſerviant: & ſic omnis commodi & publicæ utilitatis ratione ſolùm, ſempèr & utrinque habitâ, omnia commoda & utilitates utriſque eveniant, & è contrario omnibus incommodis & damnis, quæ ex neglectu utriuſque officii oriri poſſent, nec non divinis caſtigationibus, occurratur & præveniatur. Quod Deus Opt. Max. faxit.

F I N I S.

W

I N-

Digitized by Google

INDEX

TITULORUM.

I. De Eccleſiaſticis: Et quod *externam* duntaxat Religionem & *Publicam* procurent. *pag.* 1.

II. De Origine & Progreſſu Juris & Poteſtatis Prodeorum: ut appareat penes eos eſſe omne Jus & Poteſtatem Civitatis ſivè Reip. nihilque Juris aut Poteſtatis penes Cives eſſe. 7

III. Æqualitatem omnium hominum Naturalem ſtatus Civilis conſtitutione in *Privatis* non mutari: Et propterea omnem Inæqualitatem, quæ ſingulorum hominum eſt in ſtatu Civili ſivè Civitate, à Prodiis deſcendere & derivari. 38

IV. Omnem Inæqualitatem Eccleſiaſticorum non minus aut alitèr, quam cæterorum Civium, à ſolis Prodiis procedere: Nec ullum illorum & horum diſcrimen eſſe. 52

V. Eccleſiaſticos variis Privilegiorum extraneorum generibus cæteris ſe Civibus præpoſitos & hâc ratione inæquales eſſe, dicere conſueviſſe. Quæ Privilegiorum genera ſummatim enumerantur. 64

VI. Nulla divini Juris Privilegia in ſacrâ ſcripturâ veteris & Novi Teſtamenti reperiri, quæ Eccleſiaſticis Jure rectèque tribuantur: 69

Digitized by Google

VII. Nulla etiam divini Juris Privilegia Ratione Naturali, ſivè lege Naturæ à Deo hominum inditâ Cordibus Animiſque declarari, quæ Eccleſiaſticis Jure rectèque tribuantur. 97

VIII. Nulla etiam divini Juris Privilegia Eccleſiaſticis hominibus ex Voluntate Dei extrà ordinem & præter Rationem Naturalem patefacta deberi, quæ illis Jure rectèque tribuantur. 108

IX. De Privilegiis humani Juris in genere. Et ſpeciatim: quod nulla Privilegia cujuſcunque Juris extranei, tam antiqui, quam novi, ad Eccleſiaſticos pertineant. 127

X. Nulla etiam extranei Juris Privilegia ex Pactis & Conditionibus fœderum ab extraneis Prodiis cum ipſorum Prodiis initorum ad Eccleſiaſticos pertinere poſſe. 135

XI. Nulla etiam Privilegia ex Uſu & Conſuetudine contrario tam ſuorum, quam extraneorum, veterum & recentium Prodeorum ad Eccleſiaſticos pertinere poſſe. 147

XII. Ratio hujus Operis: Series argumentorum & Peroratio. 152

FINIS.

Hæc

Hæc Errata Typothetica, quæ Cuidam curſìm hoc Opuſculum perlegenti notata ſunt, Lector ità corrigito & emendato:

In Præfat. *Pag.* ult. *lin.* 13. edentur.

Pag.	*lin.*	
3.	8.	(fruſtra
6.	11.	tur,
	15.	Procœmii
8.	18.	circumferri
9.	ult.	homini
12.	18.	unâ
15.	8.	ſupereſt,
18.	11.	ni Aliquos,
20.	5.	pro eâdem
23.	2.	miſerint)
	4.	deſierunt ſibi Dii,
30.	10.	integros
31.	14.	Liberos,
33.	8.	manifeſta,
40.	16.	ejus Juris &
	20.	erant
49.	23.	numeraſſe
	24.	ſpecies
50.	24.	rurſus æqualem
	25.	æqualis rurſus
55,	8.	Inæqualitatis
59.	22.	ſupponi & ſuppoſi-
61.	ult.	Plebem
62.	5.	vanis
64.	12.	merantur.
71.	4.	& ipſa
72.	16.	commodata,
73.	23.	etiam,
75.	6.	parere credant,

Digitized by Google

ERRATA.

Pag.	lin.	
76.	3.	hoc diſcernerent.
81.	6.	cleſiaſticis
	12.	& illas
	15.	non ſine
	19.	Eccleſiaſtici
	20.	cæteras illas
83.	20.	meridianâ
85.	14.	ſummâ
86.	24.	tanquam ſibi
	25.	ti aut
90.	13.	habeant
91.	9.	gnotum eſt,
	12.	perſpiciat.
	13.	κατὰ
	19.	fit,
	21.	κατὰ
93.	5.	credat,
	19.	ti & imperanti
95.	22.	illis certò
99.	12.	Æquales,
101.	21.	in ſingu-
104.	ult.	bonorum
107.	25.	Cognitionem
109.	11.	Tit. VI.
110.	5.	pretium
129.	24.	præpoſiti.
148.	1.	pertinere
151.	13.	poteſtas,
156.	21.	aliære,

Cæte-

Cæterum, ſi quid vel in latinitate verborum vel eorum Conſtructione ab *Auctore* nonnullis fortè in locis non ſemel erratum ſit: quòd Rerum tractandarum curâ detentus, verborum curam utcunque habuerit. Cujuſmodi vitia Orationis ab hâc Divinâ, quam tractavit & explicuit, *veritate* quam longiſſimè ab eſſe velit: quamvis Homines egregiis Rebus agendis & docendis ineptiores hâc curâ verborum magis teneri non neſciat, quam qui Rerum ſcientiâ magis, quam verborum nonità utili cognitione delectentur. Spes tamen eſt, in ſecundâ & Tertiâ hujus *Libri Singularis Editione* pleraque, ſi non omnia, ejus generis vitia emendaturum, & inſupèr explicatius traditurum, ſi qua obſcurius ſcripta ſint, & novis Rationibus & Argumentis confirmaturum, ſi qua cuipiam minus indubitato comprobata videantur. Quæ nunc per alium, & quidem abſente Auctore & in aliis & longinquis terris conſtituto & incolente, fieri nefas judicatum eſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google